










3  
D. IO. SALOM. SEMLERI  
THEOLOGIAE P. P. O. IN REGIA FRIDERICIANA SOCIETATIS  
LATINAE IENENSIS MEMBRI HONORARII  
SPICILEGIUM CRITICO - THEOLOGICVM  
*Abdruck*  
DE  
AVCTORITATE ARCHAEOLOGIAE  
AD *Q. 2816.*  
FLAVIANAM EXERCITATIONEM  
LIPSIENSEM PRIMAM.



HALAE MAGDEB.  
LITTERIS GEBAVERIANIS.  
c1d 1000 LVII.

D. JO. SALOM. SEMPERI.  
THEOLOGIAE P. O. IN REGIA UNIVERSITATE SOCIETATIS  
LATINAE LIBERAE MEMBRI HONORARI  
MAGISTERII CRITICO - THEOLOGICI

DE  
AVCTORITATE ARCHAEOLOGIAE  
AD  
TRAVIANAM EXERCITATIONEM  
PERSIENSEM TRIMAM



HAER. MAGDEB.  
P. O. G. G. V. P. R. I. A. T. A. E.  
1736





DE  
**AVCTORITATE ARCHAEOLOGIAE**  
AD  
**FLAVIANAM EXERCITATIONEM LIPSIENSEM**  
**SPICILEGIUM CRITICO-THEOLOGICVM.**



§. I.

um diligentem dare soleamus operam, et de caelo quasi seruare, si qua sit opportunitas, commendandi illarum amorem studiumque litterarum, quae ab humanitate dignissimo vtuntur et veteri nomine; non tam monitis, consiliisque, si qua proficisci a nobis possint, faulubribus, quam luculentis atque insitae virtutis exemplis, documentisque: faustum eius consilii quasi omen atque adiumentum negligere non potuimus, quod a S. R. viri, elegantissimi ERNESTII, recentibus quibusdam scriptionibus (\*) venustissimis, facillime capere

A 2

pere

(\*) *Exercitationum Flavianarum prima de fontibus Archaeologiae, auctoritate ampliss. ordinis philof. pro loca in eadem obtinendo proposita, a Io. Augusto*

pere posse videbatur. Is enim, sicut eximiis in rem publicam litterariam meritis diuturnum iam et late patentem ad nostram aetatem omnem, posteritatemque adeo longam, consecutus est honorem: ita hoc praecipue genus litterarum vntis fere omnium maxime ita ornauit, vt inter paucos illos auctores, statoresque pristinae venustatisque et politae doctrinae, omnium consensu, referatur. Itaque longe dignissimum ille exemplum, ad nos alios plerosque omnes vtilissime informandos ad venustam humanitatem, istis ipsis politicissimis praebere existimandus est scriptis; quod eo etiam lubentius sequi, qui quidem id audeant, velint, quod non solum ex ipsa vicinia, ex academia celeberrima, vim suam omnem et pulcritudinem ad nos exferit, locorum non imminutam quasi interuallis, nec alicuius, ex inferiori quodam ordine, vnicum se decus leuiter ostentantem: sed quod etiam clarum oppido atque venustum commendandarum harum prae se fert documentum litterarum. Non arbitrabor maiorem ne quis ex venusto, raroque latine scribendi genere, quo vti V. S. R. solet, capiat voluptatem, an vero vtilitatem, ex solerti, acricque suscepi argumenti tractatione: quod sane ipsum non paruo ad prudentiores, rerum etiam theologicarum, arbitros pendere debet momento; vt sollempni, quo theologorum plebs peti solet, conuicio ille non amplius locus sit. Istud vtrumque decus etsi proponere mihi praecipue hac dissertatione non possum, siquidem vix forte sine inuidia ingenium in scribendo venustatem sectari liceat: non male tamen de nostris isto me ipso nomine mereri statuebam, quod insignem istarum scriptio-  
rum praestantiam bonis mentibus aut in memoriam reuoco, aut ad contemplandum, amandumque prodo. Nempe hoc esse ingenio aetatem nostram, argutam illam atque suis superbam bonis, decebat: vt et latine scribendi venustatem, acceptam a superioribus paucis, plus forte iusto ei studiosis, haud paulo nobiliorem

effice-  
gusto Ernesti, A. M. eloquentiae professore, quam A. D. XXIV iulii A. C. 1776 defendet Aug. Guil. Ernesti, I. C. Filius, philof. baccalaur. Lipsiae ex officina Langenhemia. Sequebatur paucis diebus post Exercit. Flav. I. Corollarium de stilo Iosephi, ad scripta Iosephi intelligenda et emendanda profuturum, quod sub praesidio I. A. Ernesti A. D. XXXI, defendet Henr. Goth. Noachus Hoffman, Puchavia misnicus. Haec potissimum scripta hic commemorari attinet, quae spicilegium colligentes secuti sumus. Decembri tandem superioris anni nancisci licuit vtilissimam dissertationem.



efficeret. Ipsum illud scribendi studium et voluptas, vt hodie multos cepit: ita rara admodum habuit litterarum latinarum lumina; vt non sine omni causa, semigermanicas latinas scriptiones VIR elegantissimus lepido conuicio differre videatur. Recte sentire discimus: sed, qui latine scribunt, satis pauci polite eloqui aut illustrare id possunt, quod sentiunt, aut delectatione aliqua allicere lectorem. Istam enim perfectam iudicare debemus eruditionem, quae de vtilibus rebus copiose possit, ornateque dicere. Inquam exercitationem sicut et me operam dedisse aliquam, profiteri non pudet: ita et illud commemorare liceat, in illis me, quae quasi praesidia istius causae, quam VIR S. R. tuetur, haberi debent, mihi videri quaedam inuenisse, quae nondum sint extra omnem recte dubitandi rationem posita, et quae occasionem suppeditent, experiendi harum litterarum ingenii, quod ελευθερον esse maxime solet. Hoc igitur consilium, quod a veritatis, reiue huius amore profiscitur: multum displicere VIRO longe celeberrimo non poterit. Quem quidem non obscuro, vt me debere intelligo, prosequi ad omnes honore soleo: licet ipse quam alii, qui talem eundem colunt, minus laudabilis. Itaque ingenua ista atque honesta huius reipublicae libertate vtat: quod quidem optimus quisque facile patitur, in commune scilicet omnia consulere atque arbitrari solitus. Neque vero recusamus in venustissima hac causa, acerrimos, qui quaestioni praesint, iudices: cum non temere ad hanc rem agendam accessisse videri velimus. Ab eadem ratione facile harum rerum peritis excusabimus vehementius forte, atque audax dicendi genus: cum rei publicae, vt adhuc esse solet, criticae consuetudo ac ratio id fere ita ferat, vt parum a iactantia quadam huius rei facultas abesse apud quosdam videri queat. Huius adeo quaedam species, ne causae deessem, et mihi non recufanda fuit: etsi isto ingenio cetera esse non soleo. Sequemur autem ab eadem causa, quam prae nobis ferebamus, *Lipsiensis* dissertationis modum atque ordinem: vt praecipua quaeque a praestantissimo auctore et praecepta et obseruata repetendi locus sit; quibus ea admiscebimus, quae in mentem nobis contra ea recte venire videbantur. Non dubitamus, aequos causae arbitros spicilio nostro tantum momenti facile tributuros esse: vt operae nos pretium fecisse liberaliter statuam; siquidem vtilissimae, acutissimaeque disputationi locum facimus.

## §. II.

Praefatio ab ipsis *Iosephi* laudibus incipit: cuius magnam diuinarum humanarumque rerum scientiam, historicique, graece adeo scribentis, dignissime gestam personam, iure suo commendat. Istud alterum enim haud dubie ad istorum rationem temporum, adiumentorumque eius eruditionis, dictum est: vt non simul vnus omnium optime *Iosephus* hebraici codicis expressisse ingenium, aut longe optima, acerrimaque iudicandi, inueniendique vsus esse facultate dicatur. Superfunt enim permulta, si vel maxime peregrinae scribarum ineptiae, vt ius fas est, seiungantur, quo beneficio prae aliis patronis elegantissimus ERNESTI *Iosephum* maxime afficere videtur: superfunt, quae non obscura sint iudaici documenta ingenii; cuius quidem indolem insitam longe plurima secutorum exempla gentiliūm luculenter semper referunt. Alterum vero decus, quod est a graecae venustate dictionis, quod et praecipue *Iosepho* tantus tam peritus arbiter vindicatum iuit: est profecto eiusmodi, vt facile constet, desiderasse hanc rem, si eius laudem *Iosepho* tribuamus, ingenii multum, studiumque summum, graecorum scriptorum lectione gnauiter exercitatum. Itaque et multi viri docti *Iosepho* istam gloriam negabant: secuti vulgatam opinionem, inuenusta hominis, ingeniique iudaici nixam imagine. Ego vero, etsi id mihi iam non sumo, vt de venustate ista sententiam feram: affirmare tamen ausim, non *Iosepho* ipsi, omne istud pulcritudinis graecae genus, quo iam superbire videatur, auctori tribuendum esse, sed alios, genere ipso et ore graecos in laudis eius venire societatem. Igitur agnosco, quod fortissimus *Iosephi* vindex docet (2), puram ab *Hebraismis* esse *Iosephi* Archaeologiam; attice eum scribere voluisse; imitatumque maxime esse *Thucydidem*, quod iam sec. 14. est obseruatum *Nicephoro*: tamen et illud teneo, non esse *Iosephi* vnus istam venustatem, non propriam aut domesticam; sed deberi praecipuam ΑΤΤΙΚΙΜΟΝ partem illis Graecis, quibus *Iosephus Romae* vsus fuit adiutoribus, atque emendatoribus. Simile fuit fere, quod satis constat, recitationum inter Romanos consilium. Appellamus autem ipsum *Iosephi* testimonium, clarum, luculentum; quod in margine (3) subiecimus.

## §. III.

(2) In corollario exercit. *Flavian. de stilo Iosephi*, p. 3; seq. p. 29. 40.

(3) Ap. I, 10. ΕΙΣΤΙ ΣΧΟΛΗΣ ΕΝ ΤΗ ΡΩΜΗΙ ΛΟΓΙΖΟΜΕΝΟΣ, ΠΙΣΤΗΣ ΜΟΙ ΤΗΣ ΠΡΟΦΗΤΕΙΑΣ

## §. III.

Licebit autem aliter sentire, quam viro S. R. visum est, de loco, qui istum statim sequitur, Ap. I, 10. quem eam in rem protulit (4), vt suspicionem efficeret adfectatae, non numquam, pulcritudinis, quae a naturali orationis habitu recederet: quam ob rem forte *Apion* aliique *Iosephi* censores *dixerint*, eius historiam *vehit scholasticum adolescentium exercitium esse*, plenam scilicet affectationis in verbis et sententiis. Ita vertit ipse elegantissimus Vir, recte reprehendo interprete latino, qui habet: *eiusmodi quasi, vt adolescentibus in scholis ad ingenium exercendum proponi debeat*. Pace autem tanti viri benigna hic vti volo: minime hic locus ad *scribendi genus affectatum* pertinet. Indignatur *Iosephus* insignem *Apionis* improbitatem et impudentiam: qui non maiorem *auctoritatem* scriptori sibi tribuerit, eodemque in loco habuerit suos libros, quo *vanum*, et *ficto* auctore sine veritate *argumento* vtens, *γυμνασμοι* adolescentium in schola, haberi solet; quod quidem *προκειται*, in medio quasi positum est, ex vsitato suo fato reprehensionibus et castigationibus temere obnoxium. Ita enim clare cohaeret et pergit illa oratio: *Ιωσητον δε μοι περιην θαρσος της αληθειας* (de veritate rerum narratarum igitur agebatur), *ως πρωτες παντων της αυτοκρατορας τε πολεμου γενομενας* - *ηξιωσα λαβειν μαρτυρας*. Obtulisse se porro libros suos Romanis aliis, qui bello interfuerint, etiam Iudaeis quibusdam, *της ελληνικης σοφιας μετασχηκοσιν* (\*). Pergit: *ετοι μεν εν απαντες εμαρτυρησαν, οτι της αληθειας* (de veritate semper quaestio habebatur) *πρωςην επιμελως εν αν υποσειλαμενοι, και σιωπησαντες*, *ειτι κατα αγνοιαν η χαριζομενος μετεδηκα των γενοτοων*, (rerum, quae erant gestae) *η παρελιπον*. Iam sequitur ista querela de *Apionis* et aliorum iniuria: *Φαυλοι δε τινες ανδρωποι διαβαλλειν με την ιστοριαν επικεχειρηκασι*, (*historiam*, non genus scribendi affectatum) *ωσπερ εν σχολη μερακιων γυμνασμοι προκειδαι*

*εν παρασκευη γενηνημενης, χρησιμενος τισι προς την ελληνικην φωνη συνεργοις, ετως επιουσημην των πρωςην την παραδοσιν. Adiuutoribus ad graece scribendum se usum esse Graecis diserte profitetur.*

(4) p. 44. Corollarii.

(\*) Non linguae graecae facultatem summatim; sed eam intelligere debemus, quae *legendis* etiam bene graece scriptis cernebatur. Loqui graece plerique Iudaei solebant; scribere, et scripta intelligere, pauciores. Eos *Iosephus* praecipue intelligit, qui scriptores Graecos versare soliti erant.

κείνου νομιζόντες. Nempe seueros iudices iam experta erat haec historia: iisque cunctis erat probata. At profecto neque hi iudices, quibus confidit *Iosephus*, scribendi genus graecum suo examini subiecerant, (Imperatores enim, commilitones vtrique, Romani, Iudaei, de stilo cognouerint?) neque *Apion* operae fecerat pretium, si inter grauiores accusationes istam leuissimam neglectae pulcritudinis in scribendo naturalis, aduersus Iudaeum, protulisset; quin et huius ipsius causae *Apion* non satis dignus arbiter federat, qui tantum aut studii aut beneficii numquam in suos commentarios filii causa impenderat, quantum *Iosephus* se praedicat. Igitur, si *Iosephus* hoc vellet refellere, debebat autem, si erat ab ea ratione reprehensus; haud sane duces romanos, bellicue quoscumque socios et comites adpellare debebat; sed grammaticos, protulisset; a stili laude claros. Perorat autem *Iosephus* hanc ipsam contra hos accusatores causam, commemoratis his tantum, nullis vero ad stili, praesidiis; πως ἐν (his de causis) ἐκ ἀνθρώπων τις ἠγήσεται, τὸ ἀνταγωνίζεσθαι μοι περὶ τῆς ἀληθείας (semper de veritate) ἐπιχειρήσας. Itaque ista verba *Iosephi*, γυμνάσμα ἐν σχολῇ. non ad stili, sed ad declamatorium quasi et fictum argumentum pertinent.

## §. IV.

Redeundum vero iam est ad venustissimam Praefationem: cuius quasi altera pars exponit, eruditissimi viri faustum de maioribus capeffendis consilium, iam olim, post tirocinia theologiae posita, susceptum; quo tandem et *Iosephum* propterea legendum existimauerit, vt cum sacris eum libris compararet. Quod liberale et oppido laudabile exemplum, vti salubre ad alios et frugiferum maxime est, dignumque adeo, quod commemoraret: ita iam porro iustissime et salubriter animaduertit, in uulgatam aetatis nostrae ignauiam, quae istis fere minoribus rebus, quae olim tirocinia habebantur, grandem hodie Theologi personam designare solet. Tam rari sunt, quod abhorret a luce et splendore seculi nostri, qui a necessariis, (quae et ipsa hodie maiora esse, quam olim, oportebat) etiam ad elegantiora et vtiliora in commune defluere videantur. Neque est minus iusta illa reprehensio. quae sequitur: quod superiorum temporum libri per occasiones tantum, vt forte fortuna se offerunt, haberi hodie compararique soleant. Nam, quod

quod quidam forte oggerant, non suppetere hoc otii tanta hodie studiorum varietate et magnitudine distractis: nihili est oratio, si rem ipsam consideres. Ita enim vetusti illi legendi erant: vt non linguae tantum, quod quorundam est, nec sine damno insigni, consilium, sed his ipsis rebus argumentisque dares operam, quae olim non minus, quam hodie, laudabantur. Ita ceterorum simul studiorum fines eximie proferres; atque magnis crescere videremus auctibus vniuersam rem litterarum, theologicam, philosophicam, venustioremq; illam cogitandi scribendique facultatem, si cum ipsis harum rerum promissis condendis contraheremus stabilem magis consuetudinem; non ex quibusdam quasi arculis libellorum pauperum, quorum ad tirones magna est suo in genere utilitas, rebus his cognoscendis studeremus. Sed de hoc loco iam satis; quem, etsi tactum saepius, non negligere hic ob communem utilitatem oportebat. Superest, vt ipse verecunde fatear: tantam, tam auspiciatam, et sollemnem quasi operam *Iosepho* me non dedisse, quantam forte prae me ferre oporteret, vt sine ignominia cum celeberrimo hoc *VIRO*, in hac causa, componi possem. Interim me haud poenitet studii, quod et olim iuuenis academicus scriptori huic impendi, et ineundae magis magisque aut seruandae (si id sine inuidia dicere possim,) consuetudinis cum bonis scriptoribus, adhuc impendere soleo. Ista enim studia retenta semper animo, remissa temporibus, numquam omnino neglecta, facile reuocare potui; sed intelligo verbis talibus parcendum esse, quae parum iuuent, si rebus ipsis inferior hic esse videar.

## §. V.

Procedit iam elegantissima exercitatio, et § I futurae disputationis initium ducit a fontibus, ex quibus ille scriptor hauserit: qui et ex eius ipsius professione, et ex indicis certis facile cognosci possint. Profitetur *Iosephus*. haussisse se omnia ex sacris libris. Cum vero ista professio trifariam possit intelligi. § II, quaerique, num ex *hebraico codice graecae eius versione*; an ex *libris aliis*, tum sacrorum in loco habitis; tandem, an *satis incorrupte* sua inde promiserit: prima iam quaestio § III habetur. Plerique omnes huius causae arbitri, ex graeca interpretatione *Iosephum* narrasse pronuntiarunt. Contrariam vero sententiam § III suadet, et ex *Iosephi* claris verbis, tam in *prooemio* quam in ope-

ris. XX, II, et contra Apionem I, 8. Itaque et *Relandum* ex his re-  
 ète iam collegisse, *Iosephum* hebraice peritum fuisse. Obseruamus  
 iam *Iacobum Vsserium* (\*), et *Isaacum Vossium*, his iisdem vsos te-  
 stimoniis, hebraicae linguae scientiam *Iosepho* tribuisse; et clare  
 sententiam dixisse, in *originum libris hebraicas scripturas eum in*  
*linguam graecam transtulisse*. Quod vt negari, nisi temere, ne-  
 quit: ita et illud non est negligendum, istam hebraicae linguae pe-  
 ritiam haud dubie arctioribus finiendam esse limitibus, si dicamus,  
 quod res est, nempe a ratione et causa linguae intima; vt, parum  
 abis ab aliis, qui hebraice peritum eum fuisse negant. Est enim  
 haec affirmatio et negatio ex illorum genere, quae sunt  $\pi\epsilon\omicron\varsigma\ \tau\iota$ .  
 Si nostrae aetatis, imo et superioris, post Arabum vsurpata studia,  
 perfectiorem linguae huius cognitionem compares: satis exiguam  
*Iosepho* tribuere poteris. Quod *Varronis* et *Ciceronis* exemplo il-  
 lustrari potest; qui latine haud dubie peritissimi dicendi sunt, et  
 tamen linguae causam, veriuerbia praecipue, parum perspexe-  
 runt. *Iosephus* igitur linguam, vt fuit in vsu gentis sacro, facile  
 intellexisse, vt tum solebant, dicendus est; sed rationem linguae  
 redditurus, parum sane locuples non raro exstiterit auctor. Ac-  
 cedit autem ad id, quod non parum valere putemus: quod *Iosephus*  
 vel ipso sectae, cui deditus fuit, ingenio, minus ipsi linguae  
 studuit, quam variis vel inuita lingua interpretationibus; sedulita-  
 temque adeo improbam, quam ingenuam sollertiam probare vi-  
 deatur; quae quidem virtus *Sadducaeorum* magis propria fuerit;  
 licet nec haec ad nostrae laudem aetatis attingat.

## §. VI.

Princeps autem ille locus *Archaeol.* XX, II, paulo diligen-  
 tius a nobis postea §. IX. excutietur; cuius quippe intelligendi ra-  
 tionem haud paulo diuersam, quam quae S. R. Viro placuit, fe-  
 quen-

(\*) In epistola ad *Ludov. Cappellum*, p. 213; quae adiuncta est *syntagmati* de  
 70 interpretum versione Londini 1655. 4. Eundem *Iosephi* locum, XX,  
 sine, etiam *Vossius* ita ceperat, vt *Iosepho* linguae hebraicae peritiam  
 tribueret, istis adeo vsus verbis: *ullumne maius inscitiae et impudentiae*  
*exemplum possit excogitari, quam id, quod hic denso excogitare conatur,*  
*(Hornius), Pl. Iosephum ne/ciuisse linguam patriam, et ne quidem inspe-*  
*xisse codicem Hebraicum? Voss. in castigat. ad scriptum Hornii, excitant-*  
*te R. Simonio p. 21 castigationum ad If. Vossii opusculum de oracul. Si-*  
*byllinis et Hieron. a S. Fide iudicio de responsione Vossii p. 35.*

quendam nobis ducimus. Hic paululum attingimus. Λεγω δε θαυσησας ηδη δια την προτεθεντων συντελειαν, οτι μηδεις αν ετερος ηδυνθη θελησας, μητε Ιουδαιος μητε αλλοφυλος, την πραγματειαν ταυτην ετως ακριβως εις ελληνας εξεργησει. Non habent ista dubitationem; iam rationem reddit *Iosephus* tam erectae fiduciae, Εγω γαρ ομολογωμην παρὰ των ομοθων, πλειστον αυτων κατα την επιχωρικην παιδειαν διαφεραν, longo a se ceteros Iudaeos interuallo relinquì, ratione domesticae disciplinae; quod maxime ad historiae hoc argumentum faciebat, explicandae sacrae scripturae facultatem eximiam complexum; qua in re etiam ceteri Iudaei, multo autem magis Graeci, ipso inferiores essent. Rationem reddit alteram: και των ελληνικων δε γραμματων, quod erat alterum historiae, Graecorum caussa scribendae, adiumentum, εσπαδασα μετασχεσεν, την γραμματικην εμπειρικων αναλαβων. *scribendi* etiam exercitatione valens; (ita enim intelligimus, de *stilo* et graeco scribendi genere, quo nemo Iudaeus alius tam facili et bono utatur. Opponit enim statim την δε περι την προφοραν (5) ακριβειαν, facultatem bene loquendi, ore ipso graeco, πατριος εκωλυει συνηθεια, hanc statim exponit, παρ ημων γαρ εκ εκεινως αποδεχονται, in honore habent, factis honestum et grande callere putant, τες πολλων εθνων διαλεκτον εκμαθιντας, (qui operam dederunt referendo peregrino palato) δια το κοινον (6) ειναι νομιζεν το επιτηδευμα τωτο μονον (ita interpungendum, et vertendum, quia *commune* negotium opinantur hoc solum, vnicum, nullis aliis laudibus fultum) εκ ελευθερων (scil. μονον) τοις τυχασι, scil. κοινον, αλλα και των οικτων (τοις) θελυσσιν, vulgare et *commune*, non solum quibusque ingenuorum, sed seruis adeo quibusque volentibus, seu appetentibus hanc facultatem. Μοις δε σοφιαν μαρτυρησι τοις τα νομιμα σαφως επισημανοις,

B 2

illam

- (5) Parum abest hic *Iosephus*, quod alibi postea tangimus, a iactantia: quicquid dicat, istud se etiam adscitum fuisse, nisi gentilis existimatio aliter tulisset, equidem non crediderim, Iudaeum natum, vniquam την περι την προφοραν ακριβειαν, suavitatemque atticam, ex tam vasto et aspero gutture probaturum fuisse.
- (6) Est praecipue attendendum ad κοινον - ε μονον τοις τυχασι των ελευθερων, αλλα και (τοις) θελυσσιν των οικτων, qui virique eam ob rem σοφον non habeantur, etsi forte διαλεκτας πολλων εθνων didicerint. Ceterum varie scribitur in codicibus; vnus: τωτο εκ ελευθερων μονον alius, τωτο ε μονον ελ. Possit forte et nostra coniectura locum habere; siquidem vix temere accidit in notissimis verbis variatio.

illam, veram, honestiorem eruditionem, istis tantum tribuunt, qui legum rationem et causas teneant, καὶ τὴν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν, vim insitam, inuolutam, ἐρμηνεύσαι δυναμένοις. Obseruamus, quod pluribus postea illustrabimus, ἐρμηνεύσαι hic de rerum causis et rationibus intelligendum esse; hoc autem ipsum antea, ἐπιχωριος παιδεία a *Iosepho* dicebatur. Vniuersam huius graeci loci explicationem postea vindicabimus, quia non parum differt, ab ea, quam V. S. R. sequitur. Leuius illud est, quod opinamur, γραμματικὴν ἐμπειρίαν, non subtilitatem grammaticam, sed scribendi praecipue facultatem et exercitationem interpretandam esse, siquidem iam de bello iudaico nuper scripserat, exercitatione adeo inde auctus. Istud alterum enim, τῶν ἑλληνικῶν γραμμάτων ἐσπεύδατα μετατάχων, occupat iam quodammodo in *Iosepho*, qui id praecipue nominat, etiam grammaticae rei studium: siquidem graece Iudaei plerique omnes intelligebant, quatenus vsu linguae et commercio cum graece loquentibus id consequentur; quod postea clarius patebit: vbi refellemus S. R. V. sententiam, Iudaeos *Iosephi* tempore graecam linguam odio profecutos fuisse. Ἐπιχωριος autem παιδεία, opponitur quidem ταῖς ἑλληνικοῖς γραμμασί, sed non tam praecipue solam hebraicam linguam significat, quam simul pharisaicam exegeteos sedulae facultatem comprehendit. Sed hoc est leuius; a nobis autem ideo praecipue obseruatum, quia ex eadem hac facultate comminiscendi et interpretandi, *Iosephus* historiam suam multum auxit; qua de re pluribus postea dicitur.

## §. VII.

Iam enim §. IV ipsis rebus et factis istos refellit, qui *Iosephum* et versione *Alexandrina* tantum scripsisse statuerunt. Negat id primum, quia haud dubie pluribus in locis cum hebraicis exemplis consentit, contra ista graeca. Itaque, qui id statuerint, defendendum habere, quod aut graeca iam corrupta sint; aut *Iosephi* lectio. Si id: concidere versionis omnem auctoritatem etc. Equidem id facile statuerim: non superesse nobis eam versionem graecam, quam *Iosephus* Eleazari tempore a doctissimis Iudaeis confectam laudat: quae haud dubie Iudaicis quibusdam explicationibus, ad quas intelligi hebraicus codex ab illis solebat, adaucta fuit et plena. Eius itaque indolis versionem graecam, fidelem hic ibi magis, quam nostram, poterat *Iosephus* adhibuisse; et sic ista ratio non omnino



omnino valeret. Sed rem ipsam statuo; quia eius indoles id non patitur aliter. Hoc autem argumento ad illos tantum haec res confirmatur, qui nostram versionem graecam a *Iosepho* vsurpatam fuisse, temere opinati sunt.

Alterum negandi argumentum §. V. est illud: quod *Iosephus* multis locis dissentit a graeca versione sententiis; et quidem ita, ut aut melius consentiant cum hebraica veritate, aut certe sint eiusmodi, ut appareat, eas ex hebraeorum, non autem graecorum in alexandrina versione verborum interpretatione natas esse. Res clara est; sed sua causa is tamen non cadat, qui tenuerit, *Iosephum* graeca alia versione, non ista, usum etiam fuisse, quod non est improbabile: licet hebraicum codicem scholiorum omnium fontem, in consilium etiam adhibuerit, longe ampliorem iam historici frugiferi, si placet, personam gerens, quam quae fuit istorum tum interpretum.

Novum argumentum prodit §. VI, fieri non potuisse, ut ex ista vulgari versione, tot hebraicis plena, *Iosephus* bene graece rem veram expresserit. Non est hoc inane; sed nec grauissimum videtur: quia Pharisaeus vel ex perpetua disciplinae per manus traditione, sollemnem historiarum integrarum, partiumque minorum, rationem omnem nouerat. Facile igitur sermone graeco meliori, vel ex inuenustiori versione, gentilem sensum exprimebat; aut adiutoribus vsus Graecis, stilum rebus ipsi notissimis aptabat. Sane, si ex ipso hebraico codice, qui mero hebraismo constabat, poterat tamen *Αρτισμῶν* sectari: haud scio, quidni etiam ex versione hebraizusa, cuius sensum Iudaeus tenebat, bene graece potuerit efferre, quae sentiebat.

#### §. VIII.

Suggerit autem §. VII etiam illud, non in praecipuo honore fuisse graecam versionem in Palaestina. Nempe id facile constat, hebraicum ipsum codicem sacris ibi adhibitum fuisse, non graecum. Sed versionem graecam cetera a Iudaeis ipsis contentam et spretam fuisse, locupletum testimoniis scriptorum effici numquam poterit. Fuit certe, siue *Iosephum*, siue *Aristaeam* testem velis, ista graeca, Eleazaro auctore, consilio gentis publico, confecta,

fatis ad omnes conspicua et probata. In cunctis autem *Iosephi* libris, ne γεν quidem exstat, (ausim prouocare, quia scriptorem non leuiter versauit) quod graecae versionis, aut linguae adeo, quod multo plus est, contemptum prae se ferat; aberrarunt viri docti omnes, qui aliter senserunt. Itaque desideramus omnino alios testes, quam *Talmudicos* quosdam inuentos homines, et religiofos quasi scurras; cuius tamen generis vnicum omnino carmen recitat *Hottingerus*, ad quem V. S. R. nos ablegauit. Mirum non est, eam versionem qua Christiani omnes utebantur, Iudaeis non amplius placuisse. Sed inde non constat, et linguam ipsam, et versionem quamcunque graecam, odio habitam fuisse.

## §. VIII.

Redit iam §. VIII. iste locus XX. 11, quem VIR S. R. haud paulo aliter, quam antea ego, intelligit. „*Quomodo Iudaeis hoc (Iosephi) opus comparari potuisse, quibus id etiam inuisum esse debuerit, quod res sacras nollent graeco sermone, inprimisque elegantius explicari, siue ut illi putabant, pollui ac profanari XX, 11, atque, id, quod caput rei est, intelligi non potuit?.* Haec his verbis vir elegantissimus. Ab eodem in praefatione Flauianae exercitationis pronuntiatum legimus: *Iosephus - - graecarum artium omnium ac litterarum hebraicis litteris adiunxerat studium acerrimum: nihil veritus inuidiam popularium, qui graecam doctrinam et bene graece dicendi ac scribendi facultatem, pro haud dubie impia et a vera religione aliena, repudiabant, ac damnabant.* Quod debebat firmioribus demonstrari rationibus. Nempe graeca ista, δια το κονον ειναι νομιζεν το επιτηδευμα τειτο μων, εκλευθερων τοις τυχεσι, αλλα και σικετων θελων. vertenda V. S. R. putat, *κονον, profanum impium.* Sed sustineo perstare in sententia mea, etsi a tanto elegantis eruditionis magistro, plane discedo. Κονον cohaeret cum datiuo, τοις τυχεσι των ευευθερων, et τοις θελασι των σικετων, nec potest reddi, *profanum* quibusque ingenuis et seruitiis adeo, quae oratio esset sine sensu liberali; sed commune, vulgare, plebeium fere negotium, non tale, quo quis honorem atque existimationem inter Iudaeos consequatur; ideo a se ipso, Iosepho, neglectum (?). Ingenuos non solum quosque, sed

(7) Vt clarissime confirmetur nostra sententia, ista adhuc obseruamus. I. Si maxi-

sed feruus adeo, valere posse, sine decore aut virtute, ista graeca bene pronunciandi facultate. Itaque *Iosephus* hic non loquitur de Iudaeis religiosiis, sed de iis, qui in honore ad alios esse velint, et nobiliora colligere decora, quam quae plebeiis adeo multis, si velint addiscere, communia sint. Videtur autem nostra sententia etiam ex ista ratione confici. *Σοφοί* tales, erant pauci; ergo *οἱ πολλοί*,

maxime consentiamus Viro S. R. *κωνον* ita hic recte intelligi: tamen minime inde conficitur, graecae linguae facultatem *Omniem pro impia habitam et profana*. Nam opponit *Iosephus* luculentam *των ελληνικων γραμματων μετασχειν*: hoc vniversum, quod complectebatur profecto graecae eruditionem linguae, licuit *Iosepho*, scil. voluere *libros* Graecorum, (ita bene *glossa*: *και ποιητικων μαθηματων* in codice *Busbekii*.) Itaque et *Hieronymus* alibi miratur, quomodo *Iosephus* cunctam Graecorum *bibliothecam* euoluerit. Hoc non *εκαλυε πατριος συνηθεια*. Itaque hoc decus *Iosephus* sibi comparauerat. Istud autem, quod iam demum sequitur alterum: *την δε περι την προφοραν ακριβειαν*, quod debet adeo longo intervallo seiungi ab isto priori, *πατριος επαυλις συνηθεια*. Itaque nulla ratione iusta potest infinite efferri, graecae linguae studium profanum habitum fuisse Iudaeis; sed tantum *ακριβειαν περι την προφοραν*; *Συνηθεια* vero haec non religione nitebatur; aperit tantum Iudaeorum de eruditionis dignitate iudicium. Ceterum multum miramur, *Harveycampium* in textum recepisse, post *εκμαδοντως* illa verba, *και γλαφυροτητι λεξων τον λογον επικομψενοντως*, ex codice *Vossiano*. Neque enim conueniunt rei; est profecto minime *commune* et vulgare negotium et feruile; ornatum in scribendo studere. Negat *Iosephus* litteris aliquid consiguandi facultatem communem esse; aliter ipse non tantum operae impenderat; multo autem minus ornatae scriptiones erant vulgatae. II. Dari autem non facile potest, quod *κωνον* sit *impium*. Si enim illa *Iosephi* mens fuisse: non tam accurate designarat hominum genus certum et distinctum, (ingenuorum *quique*, et *serui* adeo,) sed omnes omnino Iudaeos, et praecipue Pharisaeos, sacerdotesque, religiosiores, nominare debuerat. Impietatis enim rationem non ad liberorum *quorumque*, et seruitiorum adeo, de illa opinionem metiebantur: sed ex iudicio praesulum de singulis praecipientium. III. Igitur contraria omnino sententia est *Iosephi*: non solum liberorum Iudaeorum, (nam de *αλλοθουδοις* eum loqui nihil sane atinebat,) *quoscumque* inferiores adeo atque sequioris conditionis, sed etiam feruus ipsos hac *ακριβειαν περι την προφοραν* facile pollere, *κωνον* hoc illis aliquid esse, nempe longissima iam consuetudine, Iudaeorum fato olim adsumta, ita id ferente; quia graece loquentibus immixti, et in Palaestina adeo Romanorum causa graece scire coacti; in coloniis autem istis per Graeciam vniversam, dominorumque multi sub potestate, graeca vsi lingua, qua a vulgari tantum spectatur colloquendi ratione; etsi non ideo *γραμματικης εμπειριας* omnes compotes facti. Hac ratione arbitror *Iosephi* sententiam satis esse declaratam.

πολλοι, qui non σοφοι essent, quibus istud inesset. quod *Iosepho* non inuito deerat, *profani* habendi? Cur vero *inprimis* elegante *sermone graeco* res sacras explicari *Iudaei noluerint*, quod vir eruditissimus admonet: eius rei nulla hic prodita est ratio; *Iosephi* certe hic locus nihil omnino eius generis demonstrat. Videmur autem *Iosepho* ipso auctore, contrariam huic iure defendere sententiam: qui statim hic subiungit, δια τούτο, (i. quia multum domesticae philosophiae seu ἐξηγήσεως requiritur,) πολλων ποιησαντων περι την άσκησιν ταυτην, in scribenda graece iudaica historia; (itaque multi id praeter *Iosephum* susceperunt) μελις τωες δυο ή τρεις (8) καταρωσαν (satis tolerabiliter id perfecerunt) και των ποιων την επιμαρπιαν ενδυς ελαβον, nempe statim debitam ab omnibus nostris laudem consecuti sunt; ad quam ακριβεια περι την προφοραν, nihil eos, istosue alios πολλες, iuuit. Alii autem πολλοι, quia caruerunt επιχωρις παιδειαι penitus, qua isti tres aliquantulum valebant, spreti a nobis iacuerunt. Num igitur Iudaeis inuisum atque perosum fuerit, res suas graece scribi, cum luculentis laudibus istos duo aut tres profecuti sint, teste *Iosepho*? Deinde, quaeenam esset ea oratio, paulo ante, qua *Iosephus* spondebat, *neminem facile Iudaeum* alium, exterumque tam perite hac opera defunctorum, scribendae scilicet ad Graecorum historiae domesticae: si Iudaei abhorrebant a lingua graeca, tamquam profana atque impia 9)? Tum vero addimus fortem omnino in hac causa locum istum, ex Prooemio: quo *Iosephus*

(8) Istos nominare forte possumus ex Apion. 1. *Demetr. phaler. Philo senior*; et *Eusebius*; ου πολυ της αληθειας δημαρτον, ος συγγινωσκειν αξιον. ε γαρ εην αυτοις μετα πασης ακριβειας της ημετεροις γραμματι παρακολοθειν. De ακριβειας ista postea dicemus aliquid

(9) Verbo attingimus, quod *Aristeus* commemorat, iam Philadelphi tempore in Palaestina fuisse Iudaeos graece scientes: de quibus iisdem *Philo: συζαμανος, Eleazarus, τες πινυ αυτω δοκιματωτας Εβραϊων, οι προς τη πατριω και την ελληνικην επηαιδευοντο παιδειαν* Itaque profecto *Philo* nihil de eo inaudiuerat, *profanum* credi posse, si quis graece sciret. Addendus tandem est locus clarus Ap. 2. (p. 1067 edit. vulgat *Ittig*) Accusati erant Iudaei, odii in ceteros homines, quae accusatio speciem praecipuam habebat, si linguam graecam, toto orbe tum auditam, *profanam* iudicassent. Sed id non recensetur. *Iosephus* clare profiteatur contrarium: των ελληνων πλεον τοις τοποις η τους επιτηδευμασι αφοσηκαμεν. Non commemorat *Iosephus*, lingua etiam Iudaeos differre; quia plerique omnes graece loquebantur. Si aliter fuerat: non poterat *Iosephus* omittere, linguae religiosum diffrimen.

*sephus* clare profitetur, πατριον εἶναι Ἰουδαίους, το μηδεν σχειν των καλων ἀπορητον. Si πατριον adeo fuit, res suas non ipsis folis tenere tetras atque arcanas, πατριον autem nihil esse Iudaeis potuit, quod profanum crediderint: sequitur profecto, vt minime impium aut profanum habuerint, graecae et linguae et fcriptionis studium. Nihil autem est, quod possit obuerti, nisi *Iosephum* ipsum hic mentiri dicamus: quod, vt vanum esset, vel *Philonis* exemplo, multorumque aliorum *Iudaeorum*, qui graece de suis rebus et consuetudinibus olim scripserunt, poterit facile refelli. Nec profecto in Palaestina Iudaei aliquid profanum existimare potuerunt: quod ingenti numero Iudaei in *Aegypto*, interque Graecos et Romanos degentes, et a summis sacrorum Hierosolymitanis praesidibus genuini Iudaei semper habiti, ius fas, legitimumque statuerunt. Illud certe tenemus, ex *Iosepho* huius in graecam linguam odii documenta ingenua produci nulla omnino posse.

## §. X.

Quae superesse videbatur dubitatio, *Iosephi* in tam multis rebus cum versione graeca obstare consensum, quo minus ex hebraeo codice imprimis scripsisse videri queat: ea iam §. VIII et X refellitur. Satis constat, longo numero doctos homines ista argumenti ratione vti solere. Admonet V. S. R. plerosque istos doctos esse quidem suo in genere homines: sed quos nemo dicat ab criticae rei scientia et vsu satis instructos; eos propter qualemcunque similitudinem, res pro iisdem habere. Non mirum esse, ita iudicari in *Iosepho*; cum ita iudicent in scriptoribus diuinis. Bel- lissimam esse conclusionem: sunt loca in N. T. e vetere commemorata, quae iisdem verbis sunt in graecis V. T. exemplis; ergo Spiritus S. ista sumit e versione illa graeca, etc. Quae noua viri eruditissimi disputatio, viam munit *Iosepho* amplius defendendo: a nobis autem ideo commemoratur, vt appareat, haec et similia philologiae sacrae capita non vulgari trutina ad sollempnes quasdam praeceptiones, auctoritatemque quamcunque pendenda esse; quemadmodum plerique hanc causam iam satis definitam esse putent, quam hic tamen Vir S. R. non sine iure partim, partim non sine specie conuellit. Nihil omnino his in rebus ab auctoritate metiendum est; quemadmodum et rei criticae laudabilis ratio, non doctorum, qui isto nomine designari volunt, aut ei rei multam ope-  
ram

ram dedisse videntur, nudo de se ipsis aut his de rebus iudicio, vano saepe, arbitranda est; sed ex stabili et certa veritatis lege atque sensu. Iusto autem longius recedere videri possit haec sententia, et omnino negare, quod in N. T. defumantur saepius graecae carmina ex versione alexandrina: quod quidem vel *Pauli* exemplum ad *Romanos* scribentis, declarat; vt istud, quod epistola ad *Hebraeos*, ipso rerum argumento luculentum, continet, non appellem; vtpote ad quosdam forte minus certum et clarum.

§. XI.

Est vero fatendum, quod res est, *Iosephum* non paucis locis a librariis quibusdam ad versionem illam graecam, quae vulgarior fuit, immutatum fuisse. Res ipsa id clamat, si praecipue *MSti* codices in edit. *Hudsoni* vel *Havercampii* maxime, in consilium adhibeantur. Nam, quod nos addere iuuat, versionis graecae alexandrinae, (quo nomine ex consuetudine vtimur) ne fuit quidem, *Iosephi* tempore, talis conditio, qualis postea demum, varios experta casus, euasit; imo ausum affirmare, istam illam, quam Imo seculo iam Christiani hoc nomine alexandrino vsurpabant, versionem, a *Iosepho*, Iudaeo *γνησιω* non adhibitam fuisse. Cetera vero demonstratio, qua hac in re V. S. R. vtitur, si rei vim quis intelligat, non satis firma esse videtur. Ita igitur illa habet. *Iosephus* olim maxime lectus fuit, et in pretio habitus a Christianis doctioribus. Exempla *Iosephi* scripta, omnia sunt a librariis nostris. Illi ipsi autem Christiani vsurpabant etiam versionem graecam V. T., quam, quia hebraica exempla nec habebant, nec intelligebant, *θεοπνευστον* adeo reputarunt. Itaque et non pauci Iudaeos hebraicum codicem corrupisse affirmarunt. Igitur satis probabile esse, hos christianos *Iosephum* cum hac versione in concordiam redegisse. Prodidimus hic summam tantum disputationem; summamque rem, si de variis temporibus quaeritur, fatemur vltro: sed vniuersa colligendi ratio non satis fortis esse videtur, rei autem vera causa iusto plus, non fere sine inuidia quadam aut infamia ad istos christianos, augeri. Magno in pretio *Iosephum* a nostris semper habitum fuisse, omni ratione dici non potest. Poteram facile non exiguum inire reprehensionum numerum (\*)

Patres

(\*) Ne ista dicere tantum videar, subiciam *Iosephi* Elogia quaedam. *Eusebii* demonstr. 6, 11, *Ioudaicus δευτερευουσις* *Iosepho* clare tribuit. *Theodoretus*

Patres graeci omnes, doctiores, numquam *Iosephum* in istis appendicibus et glossis sequuntur, quia eum ab hebraico recedere, certissime sciebant. Quod autem graeci quidam istam versionem, fabularum iudaicarum miraculis pleni, *θεοπνευστον* crediderunt: non omnium fuit ille error, et parui temporis. Hebraica ipsa exempla, fatemur, multos non habuisse: sed doctiorum non est illud vituperium. Nempe inde ab *Origenis* ingenti molimine, quod hebraica complectebatur, et *Aquila* adstrictiorem versionem, cum graecis aliis, semper et facillime et diligentissime graeca των LXX verso ad hebraicam veritatem fuit collata: itaque etiam facile fuit intelligere, *Iosephum* conuenire cum Hebraico, etsi differabat ab ista versione. Igitur graeci patres plerique omnes ista accusatione peti non possunt. Quoties autem *scholia graeca*, quoties *catenae*, non solum τῶν Εβραίων, aut το ἐβραϊκῶν ἑδαφος, sed τῶν Συρῶν adeo appellant? Quin et imperitiores patres, *Augustinus* ipse, semper in chronologiae causa, hebraicum praeferunt, de qua diuersitate temporum *Eusebius* iam in prooemio canonis chronici monuerat; ex quo et *Africano*, chronicographi omnes, *Georgius* adeo *Synellus*, de ista varietate recte praecipunt. *Origenem* autem sci- mus etiam errores nominum (in τοῖς 70.) ex hebraico, consentien-  
 C 2  
 tibus

tus in Daniele; non conueniunt ea, quae *Iosephus* narrat, cum historiis Graecorum - - - ὡς πανταπῶς ἀπίθανά εἶναι τὸν τε Ἰωσήφου λόγον. Negat verum esse posse. *Isidorus Pelusiota* ep. 225, lib. 4: *Iosephus* ἵσταν Ἰουδαίων ἀρετὰ ἀνθρώπινα, κατὰ πάντα τε τα ἑκείνων κρείττονα λογὴ ἀποθανῶν, omnia eum in optimam partem capere. *Chrysostomus* et post eum *Glycas* fortiter explodunt, quae is de serpente mira miracula scripserat; idem *Glycas* alibi, *Ἰωσήφος μύθολογῶν ἔγω φανερταί*; rem ipsam hic dicit; quam ergo alii etiam intelligebant. *Zonaras* etsi cum aliis eum exscribere solet, tamen non raro notat eum dissentire a libris sacris, c. c. de centum νεφθαλῶν loco ἀεροβυστιῶν. *Photius* codicē 77, πολλὰ συναδῶν scil. *Mosi*, ἐστὶ δὲ ἐν ταῖς ἀλλοιοτεροῦν συγγραφομένοις. *Suidas* autem rem aperte dicit, voce *Phlegon*: τεναντιον μὲν ἂν ὁ Ἰωσήφος καὶ δεδωκετο εἶκοι καὶ ἑυλαβουμένων, ὡς μὴ προσκράσειεν ἑλλησι. *Iosephum* operam dedisse, ne graecos offenderet; timide scripisse. Tum vero luenter *Scholias* a *Bernardo* excitatus, cum *Iosephus* nihil de *μωσχολατρεία* narraret, pronunciat: παραλείπεις Ἰωσήφῃ τὴν μωσχολατείαν αἰδοῦ τῶν προσηνῶν. Ergo non bona fide scripsisti. Itaque non desunt ex omnibus seculis nostris, qui de *Iosephi* ingenio recte iudicauerunt: nemo eum omnino laudat; hic ibi si verum scripsit: ut decebat, concelebrant historicum hebraeum, cuius auctoritate tam salubriter vti poterant.

tibus *Aquilae*, *Symmachi* et *Theodotionis* versionibus, emendasse; id certe in *Iohannem* ipse prodit. Ceterum, quod ista suspicio non debeat vehementer augeri, vel illud efficere potest, quod *Iosephus* nomina hebraica alia ratione effert, quam ὁ LXX. e. c. *Kais* etc. quod ipse proficitur lib. I, 7: τα ὄνοματα, δια το της γραφης εν-  
 περες ελληνισαι (10), addita ratione, προς ἡδονην των εντευξομεων. Itaque non commune illud quasi consilium fuit *Iosephi* ad versionem hanc interpolandi: pauci quidam priuatis ducti rationibus, (non isto diuinitatis mendacio, quod ad media tempora non peruenit, vnde nobis codices superflunt) hic ibi in *Iosepho* ex graeca versione aliquid mutarunt; nisi potius maxima pars varietatum casui, scribis aliquid vsitatum aliud cogitantibus, tribui debet. Aliter certe in pluribus, in maioribus, *Iosephus* interpolatus fuerat.

Occupat §. VI hanc ipsam rationem aduersam, dubitationemque, quae non sine ratione existat, diluere incipit. Interpolatores non tam vel constantes vel diligentes fuisse, vt omnia corrumpere: sed, vt cuique in legendo aut describendo in memoriam venerit versionis illius lectio, praesertim in numeris, ita eum correxisset. In quo fieri non potuisse, quin multa transferret et intacta reliquerit. Verum hac ratione non parum minuitur superioris argumenti vis illa et vehementia: quam commodum paulisper repressum ibamus. Ita enim non amplius habetur eius rei ratio, quod *Iosephus* praecipue in honore habitus fuerit, aut quod ista versio numine quasi quodam plena crederetur. Si enim valebat diuinitatis opinio ad hanc rem: vniuersum omnino hunc scriptorem, ne ab ista diuina, si placet, auctoritate recedere videretur, componebant. Improbis et constans labor, necesse fuit, vt fuerit:

(10) Ita et *Origenes* tom. V in *Iohannem* p. 79 edit. Huet, de terminatione ης, in nomine *Ioannes*: καὶ ἄλλα ἢ κωνη διαθηκη εβραϊων ὀνοματα ἐξελληνισε, χαρακτηριζοντα ἅντα ἐν πρῶτῳ ἑλληνικῶ, ὡσπερ ἐπι Ιακωβ, Ιακωβον. At in τοις 70 leguntur fere sine terminatione graeca, quae in *Iosepho* aliter habent. Aucto adeo opinari, hic ibi nomina propria cum vera orthographia melius conuenire in *Iosepho*, quam in graecis 70, etiam contra seripcionem forte *Masoreticani*. Non ignoramus post *Schotanim* multos statuere, *Iosephum* in nominibus propriis secutum esse vitiosam ἐκδοσιν των ὀ. Sed non persuadent; satis differt orthographia *Iosephi*, tam ab ea, quae est codicis *Vaticani*, quam *Alexandrini*, et graecorum Patrum, aut chronographorum.



fuerit: sed religionis opinio facile peruicerat. Itaque hic ibi tantum a quibusdam librariis, casu quam consilio atque instituto, in numerorum ratione aliquid immutatum fuit.

## §. XII.

Quod vero ad nouum istud huius sententiae fulcrum attinet, quo eam adiutum iuit Vir S. R. *unde tandem lectiones illae consentaneae hebraicae veritati, diuersae a graecis exemplis, in libros Iosephi scriptos venerint: vix habebunt quidem, qui de nostra versione haec dicunt, quod respondeant; sed non deest, quod reponant alii, qui a Iosepho versionem graecam fideliolem simul adhibitam putabunt. Nisi quidem isti hac ipsa via, quam paulo ante monstrabamus elabantur. Negat quidem, Vir S. R. istis temporibus, quibus nostri codices forte scripti sint, Graecorum aliquem hebraica exempla legisse, aut legere adeo, atque corrigere inde Iosephum, potuisse. Sed hoc non statim efficit eam rem, quae hic instituitur. Nam Origenis celebratissimum istud opus continebat non solum hebraica, sed etiam graecam versionem ad veritatem hebraicam collatam, notisque multis claris diuisam. Postquam vero Africanus, Eusebius, ceterique chronicographi, tempora ex ordine vario instituerunt distribuere: nemo fuit inter Graecos vel infimos scribas, qui non in promptu semper habuerit, vnde Iosephum, (quem, vtpote Hebraeum, ab hebraico non facile abhorrere posse, lubenter statuerit), si vellet, corrigeret; neque impedimentum hic magis, quam occasionem deprehendimus. Itaque facile patet, vnde lectiones veriores potuerint in Iosephum, ipso inuito, quod tamen iam fingimus, deriuari. Ne inter latinos quidem patres fere est, qui hebraicam, temporum ratione et rerum, veritatem, non facile distinxerit (\*).*

Attingimus tantum §. XII et XIII: quibus id agit V. S. R. vt ostendat: praecipue chronologiam *Iosephi* ab origine mundi ad diluuium, et a *Semo* ad Abrahamum, a sciolis ad graecam versionem

C 3

(\*) Operae pretium est rem vniuo conficere documento. *Bedae* illud est ex epistola apologetica: agnosceas etiam - - qua ipse auctoritate assertionem meae computationis astruam: *hebraica* scilicet veritate, per *Origenem* praedita; per *Hieronymum* edita, per *Augustinum* laudata; per *Iosephum* confirmata.

nem immutatam esse. *Iosephum* ipsum hebraicam secutum esse chronologiam, iam alii docti viri, etiam recentiores, constanter arbitrati sunt; e quibus *Vignolium*, et S. Vener. *Baumgarten*<sup>(11)</sup>; Praeceptorem incomparabilem, aliorum instar nomino. Quod autem *Bernardus* aliique contrarium statuunt, scribarum hoc beneficio contingere, vt *Iosephus* cum hebraicis numeris coire videatur: vehementer miratur vir celeberrimus, quomodo istis, qui hebraicum textum ignorarint, tale quid in mentem venire poterit; habere istam opinionem aliam speciem, si de latina versione *Iosephi* ageretur, quam ex *Hieronymi* illa potuerint immutare. Quod ipsum nos miramur Virum S. V. miratum esse. Rem negamus; sed fieri facile potuisse, doctissimosque viros id, non a caligine quadam ingenio circumfusa, sed a facillima, quam bene intelligebant, ratione, (quam antea satis exposuimus) in eam sententiam ingressos esse, iustius arbitramur.

## §. XIII.

Sequitur §. XIV ista altera quaestio: *virum e solis his libris hauserit Iosephus, quos nos sacros dicimus, an etiam ex aliis*; si quidem bene multa in *Iosepho* leguntur, qua parte idem argumentum complectitur, quod in hebraicis libris habetur, de quibus in his nihil inuenitur. Hic vir elegantissimus de more historicorum bonorum atque indole admonet. Eos primum circumspexisse auctores et monumenta publica, quorum fidem recte sequerentur. Istos auctores, quoad sequuti sint: nihil vitra admonuisse, vnde profecerint. Tum vero auctores vltro proditos fuisse, vbi dissensus scriptorum occurrebat. Commendat simul hanc velut optime scribendae historiae rationem, *Buchananis*, *Bembis*, *Steidanis*, *Thuanis* vsurpatam, non adscita illa commemorandorum auctorum vanitate; de qua historiae noua causa nos iam dicere nostram sententiam nihil attinet. Hanc igitur et *Iosephum* secutum esse, praeclaros historicos imitatum. Enimvero legisse *Iosephum* scriptores graecos plurimos, nemo facile dubitabit; genus etiam scribendi historicum, frugiferum, eum ex iis quodammodo didicisse, probabile est: sed hanc quasi legem et consuetudinem in sua historia, quod optimum crediderit, exemplo, eum sibi proposuisse, nobis quidem verosimile non videtur. Ecquos enim *Iosephus*

(11) Tom. I histor. vniuersae, nota 153.

phus in vniuersa sua historia antiquiori, auctores, si huius ingenium nominis recte nouimus, circumspiceret? Tantum vero abest, vt ex imitatione Graecorum, ipsa hac scribendi ratione, fidem lectoribus fati fieri posse *Iosephus* credidisse statui queat: vt ipse contra commemoret, *Thucydidem*, historiae illum melioris parentem, in creberrimam falsi et mendaciorum suspicionem incidisse; quia non fuerint certa monumenta, quorum fidem secutum eum esse, etiamsi nulla appellarit, certo constaret. Itaque non intelligitur, qua ratione *Iosephus* id imitatus esse credi possit, quod vituperii occasionem dedidisse ipse fatebatur. Quod autem fatetur vir S. R., *Iosephum* in iudicio auctorum, fontiumque, et rerum, quas inde decerperet, peccasse videri: de eo iam pluribus dicitur.

## §. XIV.

Edidit enim §. XV eam rem verbosius. Cum *Iosephus* saepe *ἱεραὶ βιβλαὶ* appellet, quarum tantum auctoritatem sequi videri vult; multa autem idem narret, quorum in hebraicis sacris libris, clarum non exstat vllum vestigium; sequi, vt *Iosephus* isto nomine non canonicos tantum libros, sed etiam alios simul designet, quos fere solemus apocryphos dicere. Obseruat vir longe doctissimus duo apocryphorum genera; alterum a *θεοπνευστοῖς* ortum viris, alterum humanum a claris viris profectum; *apocryphos* olim praecipue dictos, quod in vulgus noti non essent, nec publice legerentur; id *Olearium* observ. 8 in Matthaeum docuisse<sup>(12)</sup>. Prioris generis libros, *θεοπνευστῶν ἀποκρυφῶν*, non credibile videri existisse adhuc *Iosephi* tempore; illud autem se credere, existisse libros antiquos, etiam historicos, quales sint Maccabaici, quorum esset auctoritas tantum ea, quae humanorum esse potest. Talia forte intelligi X, 10, 6, *ἀρχαία βιβλία*: nec incredibile esse, in eos aliquid quocunque modo defluxisse ex istis, qui olim fuerunt, *θεοπνευστοῖς*. Hos *Iosephum* non iniuste adhibuisse; inque eo vel imitatum eum esse doctissimos populares, v1 imitatores postea habuisse; inueniri enim quaedam in *Philone*, in chaldaicisque paraphrasis, quae *Iosephus* iam attigerit. Ista non conficta ab illis videri, sed e libris antiquis et inter Iudaeos probatis sumta atque vulgo inter Iudaeos credita.

Tota

(12) Idem iam *J. Vossius*, et *R. Simonius*, aliique docuerunt, facileque ex ipsa vocabuli colligitur natura.

Tota haec disputatio *Iosephi* praecipue defendendi sequitur consilium; complectitur autem plura, quae poterant varie illustrari, si nobis constitutum esset, nihil omnino eorum negligere, quae ad totam causam pertinere videri queant (\*). Sed istis multis omiſſis, summam rei causam diligentius paulo excutiemus. Primum omnium obseruamus, numquam *Iosephum* vel verbo mentionem facere scriptionum talium apocrypharum, ex quibus aliquid desumerit. Neque sine malo consilio, sine mala fide ad populos, nomine isto insigni, ἱερα βιβλια, comprehendere poterat illepidiores, vnquam *sacros ἑξοχως* dixit tales libros. Cum itaque *Iosephus* ipse Ap. I, Θεοπνευστων librorum genus vnum nostrorum hebraicos faciat, alios autem, inde ab *Artaxerxe*, fidei multo minoris, genus alterum non Θεοπνευστων; sitque ibi omnino in eo maxime totus, vt auctoritatem historiae Iudaeorum aduersus Graecorum, aliorumque incerta commenta, fanciat et in illustri ponat: facile apparet, *Iosephum* mala fide egisse, si vnice extollat quidem istos libros gentis vere Θεοπνευστας, ipse tamen in scribenda eius historia, librorum genus nouum longe inferius non solum vsurpauit, sed etiam multo plura inde expromsit, quam ista Θεοπνευστα suggerbant. Deinde, quod caput causae est, occupat VIR S. R. tales libros extitisse, ex quibus tam multa, quae ad antiquissima tempora pertinebant, recte desumi potuerint: quippe in quos ex Θεοπνευστοις potuerint deriuata fuisse. Vt iam id non moneam, mera haec niti opinione, fundamento stabili nullo: ista ipsa opinio caret probabili ratione. Credi posse, vt vnquam a propheta quodam aliquid nouo numinis auxilio amplius proditum fuerit, quod ad singulares vetusti temporis περιαισεις pertinuerit, aut noua inaudita

(\*) Describemus istum locum lib. X, 10: ἐγκαλεση δε μοι μηδες εἰως ἐκαστη των ἀπαγγελων δια της γραφης ὡς ἐν τοις ἀρχαιοις ευρισκω βιβλίοις. Καθ γαρ εἶδος ἐν ἀρχη της ιστοριας - - ἡσφαλισαμην, μονον τε μεταφρασαν τας εβραϊων βιβλιας εἰπον ὡς την ἑλληνικα γλωσσαν, μητε προστιδες τι τοις πραγμασιν οὔτος ἰδιον, μητ' ἀφαιραν ὑποσχημενος. Hic certe ne leuissima quidem species est, qua aliquis ductus libros hic a Iosepho apocryphos designari putet. Cuncta enim, quae hic narrat, existant in *Danielis* libro. Itaque fortiter hoc negari potest. Quam vere autem his promissis steterit *Iosephus*, nihil se additurum, nihil demiturum, sed tantum metaphrastem futurum librorum hebraicorum sacrorum: aequi lectores arbitrari ipsi poterunt.

dita antea facta aperuerit: cuius tamen *θεοπνευστίας*, atque *ρευλα-  
rionis* adeo, si rem consideres, omne emolumentum iam ex *Iosephi*  
his commentariis ad incertissima tantum vestigia exquiratur? Vt  
de ceteris nihil obmoueam, nouimus quidem historicorum quo-  
rundam librorum nomina, quae in libris historicis V. T. quibus-  
dam, sola illa autem, seruata sunt: nullus autem satis certo eius est  
indolis, vt in eo tot historiarum, quibus *Iosephus* eam temporis  
partem e. c. quae Genesi terminatur et Exodo, liberaliter auxit, ve-  
stigium certum vllum potuerit extare. Tum vero, si maxime  
*Philo* similia hic ibi comminiscitur: nec sequitur inde, vt *Iosephus*  
recte et suo historici iure idem potuerit perscribere; est enim di-  
uersa historici persona, et *ἐξηγητῆς*, quem plurima credere licet et  
opinari, quae ab historici prouincia abhorrent; nec inde illud cer-  
to conficitur, vtrumque talia ex libris bonis apocryphis defum-  
fisse. Eadem omnino est paraphraseon ratio. Tandem et illud  
obseruo, pleraque talia esse eius generis, vt aut nullo modo pos-  
sint a piis, religiosis et pristina praeditis indole Iudaeis, deriuari,  
quamobrem nec a Sadducaeis, *Caraitis*que credebantur, licet  
Rabbanitis cunctis hodieque eximie probentur; aut facile pateat,  
ea deberi interpretandi studio seriorum temporum, nobilique  
Pharisaeorum maxime ingenio. Atque hoc nos ipsum omnino ar-  
bitramur; hanc scilicet esse verosimillimam viam, qua intelligamus:  
*Iosephum* non sine ratione quidem, sed praeter historiae sanctas le-  
ges, secutum se esse dicere *ἰερα βιβλια*, quamuis non pauca  
prodat, quae in nostro codice nos non videamus.

## §. XV.

Hanc rem, quia non scimus satis iam explicatam esse, huc  
autem ea maxime pertinet: studiosius paulo illustrabimus, *Iosephi*,  
*Philonis*, aliorumque vsi testimoniis atque exemplis. Liceat in  
memoriam reuocare locum XX, 11, vbi *ἐπιχαρειον παιδειαν* requi-  
rit in historiae iudaicae scriptore, et *σοφίαν*, facultatemque *τῆ  
ἐρμηνευσαι τὴν ἰερωγ γραμματων δυναμιν*. Idem Ap. 1, clare de-  
signat, *φιλοσοφίαν ἐν ἑκείνοις τοῖς γραμμασι*. Comparemus et  
*Aristeam*, qui temporis certe consuetudinem et ingenium aperire  
potest; *Elazarus* misit *τὰς ἀριστους ἀνδρας, καὶ παιδεῖα* (*Iosephi*  
istud nomen erat) *διαφεροντας*, (eius et hoc verbum,) *ὅτινες τὴν  
τῶν ἰδακῶν γραμματων ἐξιν* (*Iosephus δυναμιν*) *περιποίησαν αὐτοῖς*.

D

Deme-

*Demetrius* autem regem hortatus fuit, vt a Pontifice quaereret, *ἀνδρας ἐμπειρους των κατα τον νομον των εαυτων*, vt adeo nanciscatur *το κατα την ἐρμηνειαν ἀκριβες*. In regis epistola requiritur, *ἐμπειρια τε νομου*, et vt interpretes sint *δυνατοι ἐρμηνευσαι*. Itaque illud *ἐρμηνευσαι* XX, 11, valet, expositionem causae vniuersae atque rei prodendam indolem. Addo *Iosephi* clarum testimonium ipso initio historiae, diem primum <sup>(13)</sup> a Mose *vnam* dici; *την δαιτιαν*, causam, quam subesse isti arguti σοφοι putabant, *ικανος μεν εἰμι ἀποδοναμ και νυν*, (scilicet, *ἐπιχωρικν παιδιαν* et *ἐμπειριαν τε νομου* sibi tribuerat XX, sine) - - sed se in aliud tempus differre *την περι αυτων ἐρμηνειαν*. Clare hic *ἐρμεια* est idem, ac *αιτιαν ἀποδοναμ*, superaddere ampliolem gestae rei indolem, siue verbis pluribus declaratam, siue nouis historioliis designatam. Ex *Philone* autem multo clarius harum additionum fontem detego. Ille, *de vita Mosis commentarium* exorsus, paulo post, scribit: *τα περι τον ανδρα μηνισα. μαθων αυτα* (si quidem historica sunt) *κ'αυ βιβλων των ιερων, και παρα τινων απο τε εδνας πρεσβυτερων. τα γαρ λεγομενα* (traditio oralis) *τοis αναγνωσκομενοις αιει συνυφανον*: clare proficitur, seniores, exercitatos longo harum rerum vsu, et ingenio diuites factos, subtexuisse semper *multa iis*, quae *Moses scripsit*. Addit, *και δια τερ' εδοξα μαλλον ετερον*, (qui quidem tam praeclaris per manus traditis rebus caruerunt) *τα περι τον βιον ακριβωσαι*, quasi simul ad historiae perfectionem conferret, quicquid ad verborum sitatem. Idem *Philo de circumcissione*, postquam quaedam causatus fuerat: *ταυτα μεν εν εις αικοις ηλθε τας ημετερας, αρχαιολογημενα* <sup>(14)</sup> *παρα θεσπεσιος ανδραων*, (nempe isti *θεσπεσιοι!*) *οι τα Μωσεως ε παρεργως*, (fatis obscura sedulitas) *δηρμηνευσαι*. Exstat hic idem verbum, *διερμηνευειν*, de explicatione foecundissima, quae historiae speciem praebet. Idem alibi <sup>(15)</sup>, postquam *παιδειας ἰμερον*

(13) Agnosceimus Iudaicum ingenium; non hebraeae linguae rationem. Idem *Iosephus* in fine prooemii: *τα μεν ανιπταμενα τε νομοδετα αξιως, τα δε αλληγορητος μετα σεμνοτητος*. Hic clarum exstat testimonium: Mosis libros ex mente istorum Iudaeorum, flagitare talem enarrandi rationem. Haec verba etiam *Isidorus Pelusiota* lib. 3; ep. 19. Iudaeis opponit; attingunt autem ipsum causae christianae fundamentum, quo Christus et Apostoli solebant vii

(14) Idem verbum, quo historiam inscripsit *Iosephus*; pari fere omine ad suum opus.

(15) de legibus specialibus post init.

ρον ἐκ πρώτης ἡλικίας commemorauerat: ἴδα γε τοι τολμῶ μὴ μόνον τοῖς ἰεροῖς Μωϋσεως ἐμπνευμασι ἐντυγχάνειν, ἀλλὰ καὶ φιλεπιστημονὸς διακρύπτειν εἰς ἕκαστον, καὶ ὅσα μὴ γινώσκει τοῖς πολλοῖς, (Iosephus σοφῶν eximiorum dixerat) διαφυλάττειν καὶ ἀναφανῆναι σκοπεῖν. Plebem, talia in lege exstare, ignorare; istos σοφῶν tantum haec didicisse. Ista facile ad id, quod volumus, efficiendum valent. Agnoscimus fati clare, fontem librorum apocryphorum omnium; quorum fragmenta si quis vel pauca legerit, facile consentiet, esse omnino omnia huius generis. Hinc tandem historiae varia imago. Itaque Iosephus profitetur ἰεροῦς se βιβλῶς sequi; id neminem recte posse, nisi ἐμπειρίᾳ et παιδείᾳ domestica (i. e. commentis gentilibus) plenum; se σοφῶν a suis praecipue habitum. Quis iam amplius de fonte tot additamentorum, historiolarumque moleste sibi quaerendum putet? Rem vero eximie probabilem facit illa ipsa comparatio Iosephi, Philonis, τῶν Targumim, apocryphorum, Rabbihorum. Omnium adeo est hoc idem ingenium, ut non raro rem eandem similime declarent. Verbo ad id obseruo, multam partem harum rerum, quas comminifcebantur hi σοφοὶ sacrorum librorum interpretes, inniti vocabulorum causationibus. Ista cuncta, quae Iosephus aliique de *Caini πλεονεξία*, ingenio *πρὸς τὸ κερδαίνειν*, ἀσπαργῆ concionantur: deriuata sunt ingeniose, si placet, ex hebraico verbo, vnde homini nomen fuit; ab amore obtinendi peculii. Atque huius ingenii non pauca exstant vestigia in primis christianis; nec fere dubito, quin verum hac ratione dixerit Iulianus M. aliique quidam: erasa esse quaedam loca ex libris sacris. Nempe, quemadmodum *Philo*, *Iosephus*, etque ante eum iam alii, hoc eodem modo interpretati erant verbosius et per luxuriam ingenii iudaicis sententiis imbuti: ita etiam ipso primo seculo quidam ex iudaeis christiani <sup>(16)</sup> aliquot libros V. T. frugiferis

D 2

(16) Antiquissima est certe haec interpretandi ratio, quae ad Christianos transit, a *Gnosticorum* gente luxuriantius vsurpata: qui longo numero et nomina hominum angelorumque alibi non scripta, et noua facta commemorare solebant. Ita *Epiphanius*, postquam (haer. 39 de *Serbianis*) ex *parua geneſi* de numero liberorum *Adami* narrauerat, addit: *Ἐχῆς δὲ καὶ* (praeter istum libellum, qui hic verosimilem rem loquebatur) *τῶν τῶν ἐμφασίῳ*, (obscuriorem designationem, qua ista comprehendantur) *ἐν τῇ γενεσῇ τῆς πρῶτης, καὶ πρώτης βιβλῆς παρὰ Μωϋσῆν* etc. Hinc doctissimus *Cocceius* *Henochi*

feris et salubribus auxerint glossis breuibus. Sed de hoc hic non est locus. *Iosephus* igitur hac ratione ex libris sacris cuncta sumfit; nempe, vt Pharisei, σοφοί, solebant antiquissima ista mosaica et alia intelligere: subditis statim fingendae totius rei pluribus argutiis, et περιστασι. Non fuit primus, qui tam lata via iuerit; putarim etiam graecam versionem, antequam ad hebraicum codicem instaurata fuit, non parum eius indolis ostendisse; inde certe superfunt in illa et hodie quaedam vestigia. Duo autem tresue istos historicos, quos ante se idem argumentum tractasse scribit *Iosephus* XX, sine: ex ipso hoc *Iosephi* iudicio, hoc idem, licet non satis perite forte et σοφως, fecerant, interpretumque argumentum prouinciam cum ista historici coniunxerant.

## §. XVI.

Fuerint igitur sat pauca monumenta scripta alia, praeter hebraica sacra; quae, quia in templo cum his seruabantur, *ιερα* et ipsa forte dici poterant. Nemo ignorat, quod et *Iosephus* ipse declarat, monumenta publicarum rerum in templis olim condi solita fuisse. *Sanchuniathonis* aliorumque ea de re multa testimonia transeo; *Iosephus* autem V, 1 de miraculo isto, (*Iosuae* X) scribit: δηλεται δια των ἀνακειμενων εν τω ιερω γραμματαυ scil. hebraica nostra intelligit; idem in descriptione vitae suae, collapsa vrbe, και βιβλιων ιερων ελαβον χειραμενε τους. quae ex templo extracta. Talia monumenta fuerint tabulae familiarum et gentium: quae, quia sacerdotum vt narrat Ap. 1. insigni curae demandatae fuerunt, haud dubie in templo locum habebant. Eius autem generis tabulas a *Mosis* tempore vsque ad *Herodem* existitisse, ab hoc autem combustas: auctor est ex *Julio Africano Eusebius* histor. eccl 1, 7. Alios vero libros, praeter istos, ab *Artaxerxe*, historicos, ad vetustiora tempora non pertinentes, scriptos existitisse: non omnino quidem negauerim; *medraschim* quasi indole institutos: sed, et incertum adhuc id esse, et nomine *sacrorum*, tales dictos non fuisse, arbi-

nochi istud carmen, quod *Apost.* *Indas* commemorat, ab ipso (more temporis usitato) ex *historia mosaica* collectum et deriuatum esse, statuebat; quod non est parum probabile. Ad eundem fontem referrem praestigiatorem illa nomina *Iannis* et *Iambris*; siquidem *Paulus* Pharisaeo interpretandi ingenio olim et ipse iuutus fuit; talium autem rerum memoria, vt sunt nomina, sine errore exstare potuit.



arbitror. Σοφίαν enim et ἐμπειρίαν requirit Iosephus in scriptore; i. e. impletam talium memorabilium rerum memoriam, exercitata-tamque fingendi facultatem, vt ex se promere facillime cuncta possit. Si vero huius generis additamenta ex libris scriptis peti poterant: parum ἐξέως et σοφίας, plus autem diligentiae, opus fuerat (17).

## §. XVII.

Id iam agit §. XV, vt Iosephus non malae hic fidei reus agendus esse videatur, sed ἀκρισιὰ tantum lapsus esse: quod istis temporibus critica ars excolta non fuerit, vt et de libris vniuersis et singularum rerum fide accurate iudicare in promptu esset. Nec eam rem Iosepho propriam esse; non patres solum, sed et doctissimos theologos, Chemnitium et Gerbardum subinde quaedam protulisse sub nominibus eorum, quibus ea peritior nemo hodie tribuerit. Hac de excusatione, non est, vt iam multis quaeramus; neque enim statuiamus, quia non possumus, Iosephum magnum prophetarum aliorumque nominibus falso insignitos libros, ex ἀκρισιὰ quadam pro veris habuisse. Negat ipse Iosephus, sexcentos libros Iudaeis esse, quibus veritas historiae forte adeo impediatur, vt apud alios Ap. I, ἑ μυριάδες βιβλίων εἰσι παρ' ἡμῶν, ἀσυμφάνων καὶ μαχομένων, addit, δύο δὲ μόνα, tantum, πρὸς τοῖς εἰκοσὶ, τὰ δικαίως πεπεσμένον. Igitur ipse negat, multos libros Iudaeis esse; esse autem tantum 22, quibus firma tribuatur in historia auctoritas. Haec si quis consideret, cogitetque illud, non extare vllum vestigium talium librorum in omni Iosepho, eumque speciem praebere

D 3

re

(17) Cum maxima commentorum argutarumque rerum copia in historia ista occurrat, quae Mosis libris comprehenditur; hi autem libri publice legentur: facile patet, Pharisaeorum eruditionem horum expositione maxime spectari voluisse. Exstiterunt hand dubie ex istis apocryphis, quos Fabricius collegit, quidam iam primo nostro seculo: sed ideo non conficitur, Pharisaeos, ipsos doctos, existimationemque istam, memoriae ingeniique copia tuitos, ex talibus libris aliquid discere voluisse. Itaque nec constat, Iosephum talia oculis vsurpasse. Publica doctiorum auctoritate certe tales libri non muniti erant; vnde nec Hieronymus ex scriptis Iudaeorum commentariis, aut δευτεροῦσι, proficere potuit; post cuius aetatem demum inualuerunt. Memini et alicubi ex Augustino me legere, ad ipsius tempora eius generis conscriptum nihil haberi; sed locus iam non in manus redit. Redolent vero ista pleraque omnia semichristianos.

re nullam, quasi ex minus fidelibus scriptis, praeter istos XXII, vetusta narret: haud scio, an hanc, de quibusdam apocryphis, grandi nominum specie vsis, disputationem *Iosepho* vtilem et necessariam habere possit. Num vero satis bona fide egerit, quod pharisaicam σοφίαν in historia scribenda adhibuit: de eo postea, §. XVIII. XIX erit commodior dicendi locus. Id tantum admonemus: *Iosephum*, (si illud etiam demus, quod V. S. R. occupat,) patrum theologorumque optimorum parum iuuari, similium errorum, exemplis; *Rabbinorum*, *Medraschim* exempla conueniebant, qui similes historias instituunt. Numquam enim *Chemnitius*, *Gerhardus*, suscepti a se operis, (non historici, non temporum vetustissimorum historiae) summam perfectionem vltro spondent: non iactarunt, omnes se ἀκριβείᾳ et facultate <sup>(18)</sup> insita vincere. *Iosephus* autem, historiae operatus, non solum hoc spondet, sed etiam Graecos, aliosque historicos eo nomine reprehendit: quod certa gestarum rerum monumenta adhibere non potuerint, vulgataeque temere proditarum ἀνογραφῶν auctoritatem et fabulas, fecuti sint. Quod aliis praedicat vitium, id ipsum sibi contrahit; quemadmodum Graeci quidam antiquissima ἀντιγράφα ab Homero vsurpata opinabantur, troianamque et *Vlyssis* historiam sua auctoritate non carere statuebant. Est vero et ista impar ratio: *Chemnitius* alique rebus, quas agunt, suis damni nihil inferunt, si vel maxime *Ambrosii*, aliorumque auctoritate falso vtuntur: nam ipsi aduersarii in eo conueniebant; *Iosephus* autem, si Romani didicerant, eum talibus libris temere vsu esse, historici honorem perdidit, fidemque; quia nihil nisi 22 sacros libros iactat, alios tamen

(18) Non possumus non tangere hominis fastum, ista sedula πραγματικῆ pharisaica susceptum; qui nemini videbitur incredibilis, qui recordatus fuerit, *Iosephum* se iam XIV annos natum a Pontifice ipso aliisque consuli solitum de religionis ratione, in vita sua praedicare. Notabimus simul *Philonis* simillimam de suis scriptionibus opinionem. Ita *Iosephus* sine *Archaeol.* λέγει Ἐλισσαῖος ἤδη δια τὴν προτεθέντων συντελεῖται, ὅτι μὴδὲς ἂν ἕτερος ἠδυνήθη Ἰησοῦς τὴν πραγματικῆν ταύτην ὄντως ἀκριβῆς εἰς ἑλλήνας ἐξενεγκῆν. Quot hic superbi σαφῶς indicia! *Philonis* autem locum hunc antea descripteramus ex initio de vita *Mosis*: καὶ δια ταῦτο (plane vt *Iosephus*, δια τὴν etc.) Ἰδοὺ (iste, Ἐλισσαῖος λέγει) μάλλον ἕτερον (iste, ἕδεις ἕτερος) τα περὶ τὸν βίον, ἀκριβῶσι. Ille, ὄντως ἀκριβῆς etc. Hoc ἀκριβῶσι est istud Hebraicum שׂרר, vnde isti *Medraschim*, λόγοι quasi ἀκριβέστεροι. Hoc profecto *Iosephus* sentit; qui aliter eum intelligunt, non satis intelligunt.

men minus probos sequi sustineat, ex quibus breuem aliter, sed certam historiam, facis longam effecit, at minus fidelem. Est enim apertum atque clarum, *Iosephum* nimis magnifice ostentare historiae iudaicae veritatem, contra *Apionem*; agnoscit illud etiam *R. Simon* (19). C'est *principalement* sur ce prince (des anciens Actes), qu'il s'appuye. *pour prouver*, que les histoires des Juifs sont veritables. Iam vero omnis ista gloria est tantum de paucis rebus, quas sine ornamentis gentilibus, *Mosis*, aliosque sacros libros secutus, perscripsit.

## §. XVIII.

Hanc eandem causam magis illustrabunt, quae §. XVII. XVIII sequuntur, *de fide Iosephi in usu sacrorum librorum*. Monet V. S. R. ipsum pharisaicum hic magnum facere praeiudicium, nec sinere credere, eum consulto corrumpere sustinuisse, (in quo proprie mala fides cernatur) res diuinis libris traditas. Ista est quasi praeparatio, ad futuram *Iosephi*, qua opus erit, defensionem; sed eius forte generis, vt parum ad hanc rem conducere videri queat. Nempe quis corrupisse siue Pharisaeos, siue Iudaeos alios, aliquid in codice sacro opinetur, quod fuerit eiusmodi: vt cum gentilibus domesticisque opinionibus bene conuenerit? Cur enim numeros annorum temporumque mutarent? Ab hac parte fidelissimus est *Iosephus*. Sed partium ideo improbum studium a *Iosepho* non amoliri queas. Id volumus; *Iosephum* sequendo pharisaicum intelligendi codicis ingenium, narrationes nudas, quae ex vera non fucata sua indole, pharisaeorum nouae religioni irreligiosae obstare poterant, ad amplam vanitatem interpretando, in amicitiam huius adsciuisse familiae. Fingamus Sadducaeam *Iosephi* commenta, historiae genuinae cuncta nomine insignita, legere: nihil ne ille videat, quod suis pharisaeorum partibus *Iosephus* dederit? Cum vero historia Iudaeorum vetusta ab ipsa religione seiungi non possit; facisque futiliter *Iosephus* causetur in rebus grandibus: haud iniuste profecto theologi dicam homini hoc nomine scribunt. Quod si vero bona tamen fide egisse dicantur Pharisaei, istas interpretandi ineptiasque et calumnias praecipue amando: quo tandem iure  
Chri-

(19) Reponse aux sentimens p. m. 58. Idem repetitur in iudicio *Hieronymi*. a  
S. Fide de responsione *Vossii* p. 55.

Christus eos prauarum molitionum reos peragere potuit, quod quidem se scire V. S. R. profitetur? Bonan' agere fide, qui factuose negant, plebem τον νομον intelligere, quae Christo fidem haberet, Joh. VII, 49? Nempe νομον argutis praeceptiunculis et fabulis alio traxerunt. Nihil illi peruerterunt antiquissimam rerum gestarum indolem, quae ipsis factis a Mose proditis cernitur, qui eo venerunt: vt execrarentur plebem suam; vt falsi arguerent Christum, qui ad se, verum Messiam, in Mosis libris existare luculentam auctoritatem grauiter concionabatur? Errare autem eos dictitant, qui Christo, talia docenti, auscultarent, Joh. X, 47. Iam, legat quaeso aliquis imbelles istas et futiles ratiocinationes *Iosephi* per omnem istam historiae Mosaicae partem! Vbi tandem vel vola aut vestigium tenue de Messia quodam, bonae et eiusdem religionis si caput spectes, statore? Caecus sit oportet, qui non videat, *Iosephum* dare enixe operam lectoribus exteris: vt ne istorum tum religionem laedere, aut nostram paulisper probare videatur. Quod, etsi poterat a nobis seruari ad singularem olim, si res ferat, disputationem; tamen vel documento vno alteroque illustratum ibimus. Nonne est istud futilis, quae Romanos metuebat, leuitatis exemplum, IV, 8, inter leges a Deo summo Iudaeis scriptas, βλασφημεῖα θεοῦ, ἢ ἐπισημασμενον ἢ τινι τῷ θεῷ, κερμηλιον λαμβανειν. Itane *Iosephus*, Moses talem legem (20) vniquam ad vos tulit? Tam diligenter verus Deus Hebraeorum, diis aliarum gentium falsis honorem cauit et fanxit? Credo! βλασφημῆς igitur prophetas, qui grauissime contra Baalim, deos designatos singularium gentium, insurgere sustinuerunt, dei iussu! Poterat hic locus verbosissime a nobis tractari. Sed iam non lubet. Bona fide haec *Iosephus*? Nempe, qua est Pharisaeus, et qua hi a Stoicis, ipso teste, proxime opinionibus aberant. Istud autem alterum non est minus clarum, de *Abrahami* religione, I, 8. Abrahamus primus audet Deum profiteri conditorem omnium vnum, θεον δημιουργον των όλων ένα. των δε λοιπων, εἰ καὶ τι προς εὐδαιμονίαν συντελει (nempe praeter istum deum,

(20) Commodum inuenio hoc *Iosephi* delirium a B. *Irrigio* in erudita praefatione ad *Iosephi* edit. attingi, sed ex libro 2 Ap. p. 1077 edit. lipf. Nos id inter ipsas leges diuinas hic excitamus, quas inter olim, moti rei miraculo, notaueramus. Sed iam a P. *Brinchio* etiam tom. 2 edit. *Ioseph. Haercampii* rem eandem lego, p. 302. n. IV. c. 6.

deum, si quid aliud habere numinis vim videatur; itane ingenuus Iudaeus?) κατά προστάτην την τέτη παρέχειν έκασον, και ε' κατ' οικίαν ισχυ, (pendere ab isto, non propria gaudere virtute.) Εικαζε δε ταυτα Abraham. Itane? tam inaniter collegit talia? Atqui opinabamur dei ex consuetudine, (δεξ κελυσαντος scripserat *Iosephus* ipse, sed leui id pendens momento) eum id didicisse! τοις γης και Σαλασσης παθημασι, τοις δε περι τον ήλιον και την σεληνην etc. Non minus lepidum est etiam istud c. 9, Abrahamum in Aegyptum proficiscendi cupiditate tactum, iuisse, της δε αφθονιας της εκεινων μεδεξων, και των ιερων ανθρωπις εσομενος, ων λεγοιεν τε περι θεων Η γαρ κρεισσοτιν ευρεθεισι κατακολεθησεν etc. Ain vero? ista mente Abraham eo iuit, paratus meliora *de diis* doceri, quam quae ex oraculo dei iam profecerat (\*). Nempe proxime a Stoicis ieiunio ingenio abest hic Pharisaeus; Iudaei ingenui indolem multum mutauit. Igitur et *Ionathan ad Dauidem: Deum* solem, aerem, πολλων και πανταχθ κεχυμενον testem aduocat, vt fere Stoici quidam; vt gentilium multi; lib. 6. c. XI. n. 8 Hauerc. pag. 341; qui cum *Cocceio* fatetur, id *Iosephum* gentilibus sese accommodantem scribere videri. Qua autem fronte *Iosephus*, IV, 8 tamen audet dicere, nihil se καλλωπισμω dedidisse? Atqui ne de *Mosaicarum legum* carminibus quidem id verum est. Itaque recte theologi statuunt: *Iosephum* non fideliter religionis auitae causam prodere; cuius adeo ipsos neruos ad gentes exterarum incidisse videri poterat, nisi Pharisaeorum fuerat commune crimen, veteris auctoritatem religionis frangere vehementius. Historici autem prouincia ea erat, nihil timori dare, nihil spei: sed iudaicorum sacrorum causam vetustam aperire et veram. Atque his similibusque exemplis motus haud dubie P. *Bachius*, (nomine *Abimelech*. in lexico crit.) negauit, *Iosephum* libros istos sacros et θεοπνευστας habuisse. Impudens ea videtur criminatio doctissimo *Iosephi* vindici; quippe refutata per ipsam *Iosephi* professionem, Antiapione primo §. 7. Non interpretabimur iam illam causam; etsi qui a Stoicis proxime ipse abesse se gloriatur, ne verbo quidem Stoicorum ceteram improbitatem deprecatus, qua a Iudaeorum diuinitus orta religione distant, parum sensisse ipse diuinorum vim librorum videri potest. Isto autem loco Ap. 1, claris omnino verbis *Iosephus* επιπνοιαν την απο τθ

(\*) Hunc locum iam video etiam a P. *Brinbio* tactum esse.

Θεσ, prophetis tribuit. Sed quam ieiuno ista oratio sensu esse potest? Si quis autem subtilius disputare vellet, non deesset ei negotio materies. Nempe vt leuiter tangam: ne pari quidem ratione istam ἐπιπνοικων de omnibus sacris libris praedicat. Ista est oratio: *μονων των προφητων τα μεν ανωτατω και παλαιωτατα (inde a mundi origine) κατα την επιπνοικων την απο τε θεσ μαδοντων τα δε καθ' εαυτες, (clare opponit res, quae viuendo ipsi attigerint) ως εγενετο σαφως, (sed sine επιπνοια) συγγραφοντων.* Comparabimus iam ista, quae paulo ille ante scripserat. postquam Aegyptiorum diligentiam commemorauerat. monumentis fidelibus deditam, de Iudaeis iam locutus: *περι δε των ημετερον προγονων, οτι την αυτην (quam Aegyptii), εω γαρ λεγειν ει και πλειων των εισημενων. εποισπαντο, την περι τας αναγραφας επιμελειαν, (iam addit rei modum) τοις αρχιερευσι και τοις προφηταις τωτο προσταχωντες, publica auctoritate, publice iussos prophetas talia in litteras retulisse.* Cur vero non clare superaddit, dei numine id factum et iussu atque auxilio singulari? Hic enim locus maxime fuerat, arcem religionis et librorum, quae historiam quidem etiam, sed cum religione semper mistam, proderent, fortissime tutandi. Quam firmiter autem de diuina harum librorum auctoritate conuictum reputabimus, qui de rebus grandibus, inuicatis locutus, addere semper solet, *sed de talibus, vt libuerit, quisque sentiat?* vide *Relandi* not. ad lib. 2 c. 16 pag. 115 *Hauercamp.* Qui *Relandus* multam dat operam, vt plane excuset talia carmina: sed, quo tandem in loco putaremus religionis et miraculorum Christi interpretem hodie, si Iudaeorum, aut gentium causa, isto loquendi. scribendique vteretur genere! Cur autem omisit *Iosephus* de *Paradisi Cherubim* dicere? de *serpente aeneo*? Risum, calumniam Romanorum magis metuebat, quam reum ipse magnitudinem vmquam sensit. Ista certe oratio. qua de *transitu per mare* vtitur: (neminem id mirari debere, quia antiquiores homines isti, *πονηριαις απειροι* fuerint, digni adeo hoc inuicito auxilio) non est religiosi interpretis. Nempe, nisi sole clarior esset, *Iosephum* multa omisisse mala fide: poterat talis oratio, et istud *dicunt*, facilius veniam inuenire. Sed est nimis amplus hic locus, quam vt eum vniuersum iam disputare liceat. Parum autem solliciti sumus de eo, ne ista suspicio de *Iosephi* mala religione nosmet ipsos quasi in quandam infamiam adducat; quod celeberrimus *Iosephi* defensor fere statuit: probabiliter forte dici posse, ma-

li consilii quid sub ista *Iosephi* accusatione latere. Quid enim ceteros Iudaeos fecisse dici posse a *Morinis*, *Vossis*, *Pezroniis*, si Iudaeus theologus et sacerdos tam parum reuerentiae habuerit aduersus libros diuinos? Agnoscimus orationem bonam et grauem; sed quam non est vt extimescamus. Numquid enim vitii aliquid inde ad ipsam recte redundat religionem, quod hi illi eius administri atque interpretes, eius ipsi, a mente et sensu, expertes sint? Quid tandem mali ad Christiana sacra rediit, quod et olim fuerunt plures apostatae, hodieque non desint inter publica eorum feruitia, nequitiarum, impietatumque arbitri? Nempe aliter et Pharisaei nobis excusandi erunt; quos tamen Christus plebis corruptores et pestes accusare non dubitauit. Fuerint syllabarum, non verborum solum, religiosi aucupes: peruersissimi tamen omnes doctores a nobis habendi sunt; maxime, si a Stoicorum insania et mente proxime recesserunt, quod quasi laudabile et ad commendationem religionis *Iosephus* praese ferre ausus fuit. Numeros itaque *Iosephus* non corruptit; sed auitae religionis tam fuit negligens et impatiens: vt temporum istorum, quam istius summi et priui decoris rationem habuerit. Qua in re si quidem mala fide egisse dicendus non sit, qui dedita opera religionis rationem ad alios immutauit, *ἔξιν σοφίαν* Pharisaeorum vnice secutus: Iesuitarum profecto fidem praeiuisse dicendus erit, qui *Sinensibus* christianae religionis imaginem tam perite pingere solebant, vt incolis terrae non magis haec displicere potuerit, quam olim Iudaica Romanis, hoc doctore vsis; si quidem vtrique, Romani, *Sinenses*que simillima omnia vtrimque esse non opinari non potuerunt. Tam fideles nati erant interpretes.

## §. XIX.

Iam id ipsum attingit V. S. R. §. XIX, quod antea occupabamus, de virtute verbi *ἐμπνευσαι*. Fuit enim hoc nobis ex pristina *Iosephi* lectione olim obseruatum; illustratumque pluribus ex *Iosepho* aliisque documentis: cum *Flauiana exercitatio* tantum Ap. I, 10, archaeol. X, 10, 6, designet. *Iosephum*, si nihil aliud narrasset, quam quod in hebraicis exstaret libris, versionem scripturum fuisse, non historiam rerum Iudaicarum. Contulisse itaque *Iosephum* in Archaeologiam, quicquid docti homines gentis suae ad illustrandas sacras litteras e monumentis antiquis, inge-

nioque repertum habent; in quo non malam fidem, sed iudicii esse imbecillitatem. Facile intelligitur, quid Vir S.R. velit. Sed ab hac certe parte mihi *Iosephus* non imitatus fuisse videtur bonos historicos. Monumenta nulla alia fuerunt, praeter hebraicos libros nostros. Imbecillitatem autem *Iosephi* in his spectemus? Malim calliditatem dicere, et studium diligens partium. Docti enim fuerunt istius temporis, ingeniique futilis, homines; docti, quorum ope historicus ita uti potuerit, uti graecis historicis fieri id solebat? Quis sine indignatione ista tenuia, ieiuna figmenta legat, quae non tam ab imbecillitate hominis, cuius vim ingenii cetera facile laudes, quam a vario consilio venerunt? Minime certe ille debet tanta fiducia iactare vetustissima et fidissima monumenta. Nam historici semper fides, non autem ingenium solet spectari, cuius ope res non factas, sed quae forte hac illa ratione potuerint fieri, inueniat ipse et confingat. Cur vero *Iosephus*, qui veteres imitari dicitur, non fecit, quod antea monente V.S. R. isti solebant: ut, si dissensus auctororum esset, proderent nomina illorum, quos vnos sequebantur. Ita *Iosephus* debebat significare, aliter Sadducaeos, Essenosque quosdam, statuere. Inde habuissent lectores, ex quo de conditione incerta talium rerum arbitrarentur. Nemo sane inficias iuerit, vel vnico rei momento addito, amplificato, ornato, prout scriptoris remoti, etiam non inuenustum, ingenium, fingere poterat: historiam, rem ipsam, non amplius ita describi, ut fuit gesta. Nisi longius simul vagandum esset, claris exemplis huius rei magnitudinem declararem: facile autem ii omnes intelligent, qui rerum vetustarum monumenta ea voluere solent, quae e. g. talia continent, quibus varia hodie iura et stant et cadunt, prout re ipsa olim ita sub istis circumstantibus accidit, aut minus; intelligent, quanti res momenti sit, ingenio aliquid hic, solisque opinionibus locum vltro dari. Ita *Iosephi* opera accidit, ut nihil inuisitatum, ignotum, diuinum, in antiquissima gentis religione Romani Graecique amplius videre potuerint. Poteram rei etiam leuitatem vanitatemque ostendere, comparando *Iosephi*, *Philonis*que de iisdem rebus. plane diuersa, aequali vsorum iure, figmenta<sup>(21)</sup>. Sed nemo facile legem historiae aeternam nega-

(21) Vnico omnino hic vtemur vanitatis, quae historicos non decet, exemplo. *Iosephi* prius audiamus argutam narrationem, de *Abrahami* ex Chaldaea



negabit: opiniones scriptorum, quas rebus gestis vetustissimis illustrandis produnt, a rebus ipsis, quae omnino et certo evenerunt, ipso scribendi genere distingui debere. Poterant sane Iudaei eius sequioris aetatis, ut fuerunt ingenii latis et pinguibus, ista omnia historias meras habere; sed Graeci, sed Romani Iongum fidei intervallum hic muniissent, si moniti fuerant, *Iosephum* non solum res gestas, sed etiam popularium opiniones, suasque de rebus, quae *potuerint* forte ita simul accidisse, eodem stilo proferre. Ausus fuit *Iosephus* Graecis obicere post init. *Ap. I.* ὅτι μηδεν βεβαιως εἰδότες συνεγραψον, ἀλλ' ὡς ἕκαστοι περὶ των πραγμάτων εἰκάζοντο. Sed hoc ipsum, το εἰκάζειν, et multa conscribere, quae βεβαιως sciri non poterant, *Iosepho* est perpetuum. Ex Iudaeorum credulitate et consuetudine secure opinandi, nulla exstare poterat ad alios securitas et fides <sup>(22)</sup>.

E 3

§. XX.

daea emigratione, eiusque causa, Narrat eum primum ausum fuisse, unum omnino deum profiteri, ex mundi variis legibus id colligentem; vni huic deo oportere *τιμην καὶ ἔχχαριστιαν* tribuere. Addit iam, δι απερ χαλδαιων τε καὶ των ἄλλων Μεσοποταμιτων πασιπαστων προς αὐτον, μεταικειν δουκμαστος etc. Abrahamum ob meliorem de deo opinionem Chaldaeorum odia expertum, veritumque fuisse; qui plures deos crediderint. Hic historiae haec est facies. Iam audiamus *Philonem* eiusdem interpretem, (de confus. ling. p. m. 359.) Chaldaei την ὄρατην εἶναι ἑσπερνον τον κοσμον αὐτον ἡπελαβον ἀναι θεον. Ergo nihil *Philo*, de multitudine deorum. Sed pergit de Abrahamo: ταυτη τη δοξα συντραφας; καὶ χαλδαιστος μακρον τινα χρονιον, nempe hoc eodem errore falsae religionis Abraham plenus, etc. itaque plane contrarium uterque loquuntur de eadem re. Addit *Philo* p. 361, dicitur, *apparuit Deus Abrahamo, ὃ δηλονοτι προτερον ἐκ ἡν ἐμφανης* - - - ἱπα de μεθαρμισατο, καὶ μετεχωρησε, postquam autem excessit (ex Chaldaea), κατὰ τ' ἀναγκαιον ἔγνω τον κοσμον ὀπηκοον, ἀλλ' ἐκ αὐτοκρατορα rectiora Abrahamum de Deo cognovisse. *Iosephus* causam facit, quod *Philo* effectum. Uter ergo historicum hic agit? Neuter. *Iosephus* occasionem cogniti veri dei facit, scientiam stellarum; *Philo*, impedimentum. Eius generis plura possent proferri.

(22) Fingemus, si possimus, rem simillimam. Sufficiamus tantisper *Marmor* illud *Parium* in locum *librorum Moysi*: faciamus autem, nihil superesse nobis antiquorum scriptorum graecorum, qui historiam, in isto brevibus comprehensam carminibus, copiosius enarraverint. Existere iam aliquem seculo nostro XIV, XV qui plures historiarum appendices et *περισυσεις*, partim ex collectis scholasticorum, quos audierit, doctorum interpretationibus; partim ex scholiastis quibusdam recentibus, congerat et studiosius opinando od historiam longam conficiat. Profiteri autem illum, omnia se ex *μια*

## §. XX.

Diuiditur autem ista disputatio §. XX. Tria genera esse rerum iis, quae in sacris libris leguntur, a *Iosepho* adiunctarum. Primum narrationum; quales *Archaeol. II, 19, 23* de hierophantae praedictione, *Amramis* somnio, et multae aliae: quae vel absunt penitus a libris diuinis, vel adiungunt aliquid, vt de aqua correcta, *III, 1, 2*. Videri posse, quasdam ex iisdem libris ductas esse, e quibus *Apostoli* sumserint, quae de *Ianne* et *Iambre*, deque *caudauere* *Mosis* tradunt. De hac causa iam satis a nobis dictum esse videtur. Faciamus, codicem hebraicum nobis periisse, aut non usurpari posse *Iosephus* ita sine discrimine scripsit, numquam vel verbulo meminit, se non nulla sumere ad vetustissimam historiam ex scriptis inferioribus, non diuinis: vt vniuersum eius opus paritum omnino fide a nobis amplectendum esset. At quanto in periculo tum versaremur! Quam bella vteremur historia! quae profecto eandem ad nos vtilitatem exfereret, quam Romanis praebuisse videri potest; vt de indole eius religionis, vero ingenio hominum ea olim vtentium, verosimilem rationem inire nemo possit. Ille tamen Graecis opponit, *λογος νομιζων ενωα (συγγραμματα domestica) κατα την των γραφαντων βελητων εσχεδιασμενος*. Nempe tales Iudaeorum historiae *δεε δογματα* mera habebuntur! Itaque, si ex libris quibusdam talia desumpsit *Iosephus*, qui tamen nullos vquam nominat, quique, vt erat *σοφος*, istis riuulis tenuibus vti voluisse ipse non videtur: fecit idem, quod Graecis obicere audeat; saepe *λογος* conscripsit, non historiam. In tales enim libros

aliquid

*more Pario* desumpsisse, antiquissimo vsum illarum rerum monumento. Satis iste historici boni munere functus esse videbitur? At est simillima *Iosephi* ratio: aequali semper fide versatus esse in ista historia dici non potest. Fieri multa potuerunt, sed historiae est illud vnicum argumentum, rerum omnino gestarum. Licet ista attingere et commemorare; sed prodito fidei discrimine. Hoc *Iosephus* negligit. Idem vero non ignorabat diuersissimam *Sadducaeorum* *Essenorumque*, interpretandi et narrandi rationem; Christianorumque ingentem fiduciam, libris *Mosis* et ceteris hebraicis fultam, vt quidem aperte prodere sustinebant. Hic *Iosephus*, grandi ore facrorum librorum auctoritatem semper appellans, saepe professus, nihil iis se addere, nihil demere: ingentem incertarum non solum, sed et ab ingenio aetatis vetustae vero alienarum rerum copiam congerit, eique rei maxime studet, vt nihil scribat, in quo aut Christiani aliquod praesidium inuenire, aut Romanorum alia sacra laedi viderentur. Hic profecto non video, quomodo bona semper fide ille scripsisse dici possit.

aliquid θεοπνευσε deriuari potuisse, vltro occupatur; nulla autem probabili ratione potest confici. Apostolorum vero exemplum appellatur. Id autem huius esse eiusdem generis non perspiciamus. Aegyptios praestigiatores nomine designant: nomen tamen in hebraeo codice non exstat. Est vero longe certissimum, quodam eos nomine vfos fuisse; ad veritatem igitur nihil interest, hoc, quod et ad exteros peruenit, aliudue nomen olim gesserint. Ista vero, quae *Iosephus* adiicit, res sunt *nouae multae*, quae an vquam contigerint, prorsus ignoramus quia deest fides atque auctoritas, licet quaedam *potuerint* ita accidisse. Alia vero sunt eius ingenii: vt abhorreant a Mosis narratione, et omni consilio scripturae diuinae, cui tamen sine discrimine immiscuit. Est autem et illud plane diuersum et dissimile: Apostoli talia pauca commemorant, vsi occasione; quia illi, ad quos scribebant, his tamquam veris et certis imbuti erant, quae et ipsa a religionis cetera indole non erant aliena. *Iosephus* autem, non ad Iudaeos scripsit historiam; sed exterorum causa, quorum diuersum et recens ingenium, talibus rebus incertis et alienis a vera sacrorum olim natura, nullo poterat iure suo implere: vario autem consilio ductus id instituire potuit. Iustissime iam olim *Glycas*, postquam ex parua genesi, (quam amplitudine et ineptiis vincit, quae nobis superest, breschich rabba) narrasset, Adamum post dies XXXX, Euam post LXXX in paradysum venisse, et ab eadem causa diuerso hoc temporis interuallo mares et feminas in templum sisti, grauiter addit sententiam: *ἀλλ' ἀφ' ἑσ' αὐτῆν. Ἡ γὰρ Μωυσεως ἀληθινὴ ἰστορία* etc. *Veram* Mosis historiam vnice dicit; negat istam.

## §. XXI.

Alterum autem genus a *Iosepho* additorum praeter scripturam, est earum rerum, quae non tam noui quid habent, quam interpretationem aliquam; vt cum ratio redditur, cur *Abelis* victimae gratiae fuerint deo, *Caini* minus. Agnoscit Vir S. R., esse talia fere eiusmodi, vt ostendant, summam verae religionis apud Iudaeos tum in quibusdam corruptam fuisse; sed malam fidem non efficere. Habent autem in *Iosepho* speciem veteris verae historiae; neque enim significat, suo tantum tempore ita credi a multis. Atqui hac ratione *Iosephus* non scribebat *historiam Iudaeorum vetustam*, sed *historiam opinionum tum Iudaicarum* de vetustae historiae ratione:

ne: vtramque historiam satis magnum seiungit interuallum. Neque vero in quibusdam tantum summa verae religionis corrupta fuit: sed vniuersa, et *Iosepho* quidem interprete, quod est eius beneficium, studiose, diligenterque est corrupta; vt a Romanorum sagaciorum religione parum diuersa fuerit, et in quibusdam illa haud paulo peior atque ineptior; quia circumcisionis, ceremoniarumque, causas bonas respuit. Quod autem placet viro S. R., patrum, sacerdotumque appellare exempla, e pulpitis publicis similia figmenta non raro arbitratorum, sine praecipua malae fidei nota: haud exiguo discrimine ista separata sunt. Historiam hi non scribunt, nec veritatem fidam spondere audent; vtuntur igitur hac venia, qua omnes possumus experiundi ingenii, quo vario et saepe inuenusto quidam praediti sunt; parati tamen, meliora discere. Sed *Iosephum* iam spectemus. Ille, quia temere omnia torquet et minuit, quae religionis intimiorem causam cum christiana coniunctam designent; Christique et aliorum salubria interpretandi adiumenta omnino spernit et reiicit: non video, quomodo eandem mereatur veniam, qua bonos et probos, sed imbecilles homines, publicam et immotam eorum, quae forte loquuntur, auctoritatem non prae se ferentes, dignos esse putamus. *Philonem* eius generis somnia magno conatu prodere, longe facilius fero: historici persona non indutum, sacrorumque librorum nudam auctoritatem, a doctorum ἀρχαιολογῶν sententiis semper separantem.

## §. XXII.

Tertium genus, quod est in exornandis narrationibus, §. XXI. illustratur. Duplex esse narrandi genus; simplex alterum et tenue, laterum ornatum. Hoc vti optimos et magnos historicos graecos, atinos: hoc etiam *Iosephum* voluisse; quod et *Philonem* tentasse, quem *Iosephus* hic ibi videri possit imitatus esse. Elegantem admonitionem facile harum rerum periti patientur, pertinet sane ad salubrem frugiferamque rerum gestarum repraesentationem, quas nec mente atque animo aliquis vtiliter concipere possit, nisi aliquanto amplius, auctiusque quam narrari poterant, cogitet. Atque ex hoc fonte ortum etiam olim est hoc narrandi genus. Non iam arbitramur, vtrum *Iosephus* suo ipsius consilio, istos imitandi, ita scripserit, an rei ipsius ratio, eiusque inge-

ingenium iudaicum, Graecorumque, quorum opera vsus est, ad-  
 iumentum, id praecipue effecerit. *Philonem* certe *Iosephus* imita-  
 tus esse non satis certo dicitur, ob eam causam: quod utriusque sint  
 non pauca communia. Iudaeus uterque, domestica, inepte sedu-  
 la, vsi institutione, si de iisdem rebus scribunt: non potest, quin  
 saepe similia scribant. Si ipsi augurantur, dissident. Optimi au-  
 tem quique historici, rebus, temporibusque dederunt sollicitam  
 operam, nec suae aetatis opiniones, vetustissimis et rebus et ho-  
 minibus aptarunt. Itaque *Liuii*, *Dionysii* ornamentis vetustae hi-  
 storiae lubenter vtimur hodieque. Quotus autem quisque est,  
 cui *Iosephi* ornamenta praecipue placeant, non meliora in mentem  
 venire possint? Itaque incertum esse videtur hoc ad *Iosephum*  
 praesidium.

## §. XXIII.

Non exiguam talium ineptiarum, quae videantur, partem  
 librorum deberi interpolationibus, §. XXII. admonet; siqui-  
 dem MStorum summa sit et tanta hic ibi varietas, vt non defue-  
 rint docti viri, qui Archaeologiam bis a *Iosepho* recensitam ideo  
 statuerent. Atque ista opinatio, si quid liceat etiam nobis arbi-  
 trari, haud paulo sit probabilior: si, quod *Iosephus* de *belli* fata-  
 lis *commentario* scribit, etiam de Archaeologia valet: vt non tam  
 ipse vsus sit suo scribendi genere, quam eruditus Graecis (\*) a stilo  
 emendandam tradiderit. Fieri enim potuit, vt alius aliter scri-  
 bendi genus aptauerit: cuius vtriusque documenta stili, scribarum  
 diuersos codices describentium, sedulitate ad nos venerint.

Excitat autem Vir S. R. quaedam talium glossarum exem-  
 pla; 1, r. 4 de serpente. *Intuidisse* bestiam hominibus felicita-  
 tem. Hoc *Iosephum* de mera bestia non potuisse scribere; e chri-  
 stianorum forte id libris esse. Sed ego non possum, ob vnus  
*Vaticani*, qui omittit, auctoritatem, hanc partem interpolatori-  
 bus tribuere. De *mera* bestia nemo vnquam Iudaeus, nisi oppi-  
 do illepidus, cogitare hic potuit; multo autem minus *Iosephus*,  
 qui hebraica hic sequutus est. Nempe codex sacer serpenti tribuit  
 ipse *calliditatem*. Itaque *Moses* ipse luculenter praeiuit istam in-  
 uidiae

(\*) Scripseramus iam ista, cum a *Fabricio* in *bibliotheca graeca* lib. 4 c. 6  
 p. 233 reperimus, iam *Bigorium* huic rationi praecipue confisum esse; di-  
 scimus iidem, iam *Petrum Brinchium* ea vsum esse.

uidiae caussam: quomodo enim serpens prae aliis agri bestiis, (quas multi antiqui Iudaei Spiritus malos volunt) *callidus* dicatur, nisi simul fallendi et facultas et consilium ei tribuatur? Itaque *Iosephus*, si talia non scripsit, multo dixit minus, quam *Moses*; nec tamen suorum consentientem, de qua constat, opinionem ignorare poterat. Quod vero sequitur: qui hominem Iudaeum coegerunt etiam *Sibyllae* oraculo uti, eosne dubitasse putemus, ei affluere alios e libris suorum pannos?) non caret quidem sua specie; sed rem non conficit. Constat autem ex ipso *Beroso*, *Sibyllae* eum mentionem facere; quod, cur *Iosephus*, qui *Berosum* saepe excitat, sibi in alia *Sibylla* faciendum non putaret? Cum praesertim omnia conquirat, quae ad suam facerent historiam, *Sibyllarum* autem ipsius aetate nondum erat abiecta auctoritas. Sed in hac re non sum ipse difficillimus.

Hanc vero interpolandi sedulitatem non parum adiutam fuisse ex eo, §. XXIII. aperit, quod *Iosephus* saepe exquisitiori lingua graeca vtatur: intelligendi enim difficultatem librariis plerumque occasionem interpolandi suggerere. Itaque et in *Iosepho* non raro bene graeca corrupta esse; repositis vel facilioribus verbis, vel versionis Alexandrinae. Quod suo modo ita se habet. Exempla iam produntur §. XXIII, vbi *Iosephus* videri possit, vel incitiam peccare vel fraude: E. c. I, 20, de luctu *Iacobi* cum angelo, nouum nomen *Israel* interpretatur *Iosephus*, τὸν ἀντιστάντα ἀγγέλω θεῶ. Rectissime eum id facere pronuntiat V. S. R., quamuis *Hieronymus* negauerit in *quaestione hebraicis*, esse in hebraico, et post eum plurimi alii. Nempe isti errarunt in prima nominis syllaba, quam ex *vir* componebant. Ἀγγέλον autem θεῶν, pergit V. S. R. intelligendum esse θεῶν, *filium Dei*, quem *Iosephus* ex lege bene scribendi θεῶν, loco θεῶν designet angelum. Haud scio an peruaferit VIR S. R., *Iosephum* ipsum intellexisse hic *filium dei*. Christiana haec explicatio, quam vera est. Neque enim in vniuersis *Iosephi* libris vel γῶ exstat, de *filio dei*, qui deus ipse sit. Deum sub angeli, hominis imaginem prae se ferentis, persona forte apparuisse ipsum, crediderit; quia antea v. 25 istud phantasma, ob externum habitum, *vir* nominabatur; sed *filium dei*, deum hunc et ipsum, *Iosephus* numquam vel credidit vel scripsit; ne *Philo* quidem. qui tamen, de λογῶ multo plura et cum insigni specie, solet concionari,

§. XXIII.

## §. XXIII.

Leuiter tantum et § XXV. attingimus, cuius illud est argumentum: numeros quosdam *Flavianos*, vel ab hebraeo discrepantes, et versioni graecae consentientes, vel ab vtrisque diuersos, posse et ipsos veros esse; quia in numeris quaedam *παχυλος*, quaedam *κατ' ἀρῆβαιν* dici soleant. In nostris codicibus, numerum annorum *Isaaci* esse CLXXX, in *Iosepho* CLXXXV, hunc posse esse *ἀκρηβέτερον*, ex alio historico vetere ductum. Quemadmodum ista conciliandi ratio multum valet in omni historia, cuius supersunt plura monumenta certa, ex quibus diuersi numeri auctoritate pari aut non spernenda colliguntur: ita in hac causa parum nobis valere videtur. Per ipsam enim *Iosephi* professionem, libri omnes post *Artaxerxem* scripti, semper a Iudaeis ipsis fidei longe minoris fuerunt habiti: quorum adeo diuersos a Mose numeros, sequi et praeferre *Iosephus* ipse notebat; antiquiora autem monumenta, praeter istos sacros, exstiterunt *Iosephi* aetate nulla in hebraicis vero non habetur numerus annorum 185. Vnde ergo exstiterint historici antiqui, probae fidei, qui accuratius prodiderint istorum numerum annorum? Ausim itaque affirmare, falsum esse, certe maxime incertum, hunc *Iosephi* numerum; siue errauerit ipse, quod aegre videtur: siue librarii demum vario casu eum induxerint. Fieri etiam plane non potest, vt existant iam vnquam hebraici libri Misti, qui *Iosephum* in hoc numero recte adiuuent: siquidem antiquitus Iudaei computum sacrum factis sollicitate inierunt. De aliis rebus, quae ad tempora minus vetusta pertineant, e. c. in libris Regum chronicorum, vltro ego dederim; praetulerimque correctionem loci vnus ex altero, istis moleste sedulis quorundam conciliationibus: sed in *Genesi*, si numeri a quoquam diuersi produntur, accuratiores hi dici satis probabili ratione non poterunt. Nemo enim vnquam inter Iudaeos verustiores, nemo *θεοπνευτος* fuit, quem post Mosen in *Genesi* aliquid aliter et accuratius, quam fecit Moses, aperuisse confici posset.

Finem tandem venustissimae exercitationis facit §. XXVI: scire oportere, historicos in narrando non esse adstrictos necessitati cuidam, in deletu et commemoratione *περιπλοων*, quae vel non ingrediuntur rei summam, vel sunt commutabiles natura sua ac vi. Non est, quod quis hic difficilis sit. Licuit *Iosepho*, liberius hic versari: sed vt decet historicum, praecipue in rebus sum-

mae vetustatis, religiosum. Itaque magis opinionem de istis rebus probabilem prodere credendus erit; quam certa facti fide fultam rationem.

Haec spicilegio de auctoritate Iosephi collegisse iam sufficiat; quibus de hoc ipso argumento, quod est non inane, sed cum aliis theologiae locis insignibus coniunctum, aliquantulum mereri videbamur: siquidem sperare licet, S. Rev. Iosephi interpretem, futuris, quas auide expectamus, Flavianis exercitationibus, haec non omnino nostri contemtu neglecturum; cum locum fecerimus felici eius et praestanti ingenio, insignique doctrinae. In quibus, si quid vehementius dictum reperiatur, quam nostrae forte personae videatur conuenire; veniam criminis iterum rogamus, obtestamurque, nihil a nobis eo destinatum esse, vt tanti, tam insigniter de bonis litteris meriti VIRI, honorem, iustum illum et debitum, vel leuissima laederemus ratione. Rei studuimus et huic et theologiae: neutra autem pati videbatur, vt vel Graecam olim linguam a Iudaeis spretam, damnatamque fuisse statueremus; vel Iosephum fidelis et probi personam historici maxime gessisse, arbitraremur. Quodsi nihil valere, vel ad hoc ipsum parum conducere rationes, quibus nos vtimur, demonstrari poterit: lubenter publice aberrationis nostrae expetemus veniam; quo tamen nos redactum iri, adeo confidimus de vtraque causa, nondum speramus. Superest, vt praecipitem calamum lectoribus bonis excusatum eamus: siquidem parum otii temporisque in tam grauem causam impendere licuit; quae quidem iure suo ampliozem postulabat operam, quam quae triduo ferme circumscriberetur. Hoc non ideo commemoramus, quod inepte opinemur, non esse id illaudabile: sed vt eo facilius nanciscamur illorum lectorum veniam; qui forte desiderauerint, doctissimorum virorum de hac causa superiores scriptiones, a nobis magis excusas fuisse; a quo quidem labore videbatur nos iam posse abstinere. Addidimus tantum per exiguum otium, quod subinde arripuimus, donec e prelo exiret nostra disputatio, aliquot aliorum scriptorum testimonia, quae conducere ad nostram causam videbantur.





JB 1695

ULB Halle

002 623 897

3



JB

Rebro ✓





8  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
Inches  
Centimetres

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13



3

SALOM. SEMLERI  
IN REGIA FRIDERICIANA SOCIETATIS  
NENSIS MEMBRI HONORARII  
CRITICO - THEOLOGICVM  
DE  
TE ARCHAEOLOGIAE  
AD *Q. 2816.*  
I EXERCITATIONEM  
ENSEM PRIMAM.



LAE MAGDEB.  
S GEBAVERIANIS.  
c10 1000 LVII.